DE VERGILII BUCOLICON TEMPORIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS FEILCHENFELD

DUESSELDORPIENSIS.

LIPSIAE

IMPRESSERUNT METZGER & WITTIG

1886.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

De Vergilii Bucolicon temporibus postquam quae satis certo sciri possent Ribbeckius in Prolegomenis exposuit, tot tamque diversae prolatae sunt opiniones ut nec quibus annis nec quo deinceps ordine eclogae compositae sint inter doctos conveniat. atque omnium maxime Schaperus a prioribus dissentiens totius huius quaestionis fundamenta disicere conatus est. qui etsi paucis sententiam suam probavit, tamen ad illam firmandam eis usus est argumentis quae diligentius examinare non paeniteat. neque alii defuerunt qui nova temporum indicia ex ipsis carminibus indagarent. operae igitur pretium est hanc rem denuo pertractare et diiudicatis virorum doctorum opinionibus quid nobis et de Bucolicon annis quibus perfecta atque edita sint et de singularum eclogarum temporibus statuendum videatur paucis exponere.

I.

Qui primus de Bucolicon temporibus scripsit C. Ruaeus (in ea quam Vergilio suo a. 1675 in usum Delphini edito praemisit poëtae vita) duo haec in disputationis capite posuit: Bucolica triennio perfecta et eclogam IV. a. 714 editam esse. quorum illud ex veteribus grammaticis hauserat, hoc ex ipsa ecloga ad Pollionem consulem missa.[1]) his usus Bucolicon terminis anno 713 divisis Italorum agris insigni primam et

[1]) itaque vehementer miror nuper Vergilii interpretem haec ita reiecisse quasi a viro illo doctiss. ipso essent conficta (v. Schaperum in praef. commentar. Verg. I^6 p. VI).

nonam, 714 quartam, 715 octavam, 716 decimam assignavit eclogam.

In quem eclogarum ordinem Martinus (Life of Vergil) et Heynius (P. Vergilii Maronis vita per annos digesta) sextam ita inserendam viderunt ut inter nonam et quartam locum teneret. eidem decimam propter res bellicas in ea commemoratas in annum 717 reiecerunt. de reliquarum autem temporibus cum Martinus multum ariolatus esset, hoc solum Heynius vidit effici posse: quintam eclogam, qua alteram et tertiam antiquiores esse ipsius poëtae testimonio constat, ante nonam exstitisse.

Atque hunc proxime secutus J. H. Vossius (Vergil's Ländliche Gedichte I—II. 1797) nova subsidia ad definienda eclogarum tempora ita parare studuit ut quibus anni temporibus singulae cantari fingerentur eclogae accuratissime investigaret. qui sic in universum de Bucolicon temporibus iudicat: inde ab a. 711 Vergilium eclogas composuisse omnesque decem a. 717 edidisse.

Paulo artiores Bucolicon terminos constituunt Spohnius (proleg. ad carm. Bucol. in edit. Heyn.-Wagner. I p. 21 sq.) et Wagnerus (praef. ed min. p. VII), qui ab a. 712 usque ad a. 716 eclogas conditas esse censeant. quarum ordinem hunc se putare Wagnerus (ad ecl. I in.) ostendit: II. III. V (a. 712). I (a. 713). IX. IV. VI (a. 714). VIII (715). VII. X (716). in quo ne Ladewigius quidem (Vergil's Gedichte I[5]) aut Benoistius (Oeuvres de Virgile I) quidquam mutandum duxit, quamquam nonam eodem quo primam anno, ultimam a. 717 ortam esse horum uterque statuit.[1])

Jam viam a Ruaeo initam, a qua aberrassent viri docti, anno 1866 denuo monstravit Otto Ribbeckius, qui ‚omnia quae in re tam lubrica stabiliri possent‘ in Prolegomenis criticis quae conscripsit ad Vergilii opera maiora capite primo diligentissime collegit.[2]) is profectus a veterum gram-

[1]) ceterum Benoistio recognitis Ribbeckii Prolegomenis videtur persuasum esse triennio omnes includi posse eclogas (v. Oeuvres de Virgile vol. II p. XI).

[2]) eadem in narratione de vita et scriptis P. Vergilii Maronis editioni minori praemissa breviter adumbravit.

maticorum testimoniis Vergilium a. 712 incohasse eoque quod insequitur triennio 713—15 perfecisse Bucolica statuit (p. 1). qui termini ne artiores putarentur, sine ulla causa anno 716 duas eclogas assignatas esse demonstravit: septimae enim annum prorsus ad libidinem a prioribus definitum (p. 4), decimam autem anno 715 optime convenire (p. 10) ostendit.

Paulo antequam ‚Prolegomena' edita sunt, Carolus Schaperus Fleckeiseni Annalibus (LXXXIX p. 633—57 et 769—94) uberrimam de Bucolicon temporibus disputationem inseruit. in qua diligenter examinatis veterum testimoniis facere ille quidem non potuit quin triennii a grammaticis traditi rationem haberet, argumentorum vero nec non rei metricae aliqua dissimilitudine ductus cum tres eclogas — scilicet quartam, sextam, decimam — ceteris posteriores esse sibi persuasisset, eas intra annos 727—29 compositas et altera Bucolicon editione facta cum ceteris septem inde ab a. 712 scriptis coniunctas esse statuit. atque hac ex coniectura quid ad eclogarum interpretationem elici posset in libello a. 1872 Posnaniae edito *(De eclogis Vergilii interpretandis et emendandis)* exposuit expositaque quattuor annis post in Ladewigii commentarium a se retractatum[1]) recepit. in quo ea quae invenisse sibi visus erat ita auxit ut antiquiorum quoque eclogarum nonnullos locos in altera editione adiectos esse doceret. anno denique 1880 ut quae contra eum disputata erant refelleret in *symbolis Joachimicis* (I p. 1—36) quaecunque ad probandam suam sententiam afferri poterant denuo comprehendit.[2])

Impugnaverant autem illam argumentis allatis[3]) cum alii viri docti qui de singulis eclogis scripserunt (cf. Th. Plüss, Neue Jahrb. f. Philologie 1877 p. 69 sq. R. Hoffmann, De IV. Virgilii ecloga interpret. Rossleben 1877. H. Flach, Jahrb. 1878 p. 633—37, idem Jahrb. 1879 p. 791 sq.) tum

---

[1]) qui nuper septimum editus est (a. 1883).

[2]) v. etiam librorum qui ad bucolicos poëtas pertinent censuram in Bursiani diario 1882 P. II p. 112 sq., maxime p. 133—35.

[3]) nam quod Benoistius negat (Oeuvres de V. I p. LII sq.) sermonis discrimina in utroque eclogarum genere agnosci posse id ad refellendam Schaperi opinionem sufficere vix crediderim.

maxime Ribbeckius et Glaserus. quorum ille in Prolegomenis p. 10—13 Schaperi opiniones a. 1864 prolatas prorsus infirmis niti fundamentis demonstravit. ad quem in definiendis Bucolicon annis totum se applicans Bitschofskyus[1]) ne in refellendo quidem Schapero quidquam Ribbeckii argumentis adiecit.

Glaserus vero, qui in commentario a. 1876 edito[2]) Schaperi sententiam omnino neglexerat, anno post in censura commentarii Schaperiani[3]) quae ille de retractatis a poëta bucolicis excogitasset improbanda esse censuit. de singularum autem eclogarum temporibus cum antea sic iudicasset ut cum Ladewigio plane consentiret,[4]) recognita Schaperi editione aliqua ex illius inventis sibi haudquaquam displicere confessus est, ut compluribus locis sibi ipsi parum constans a Schapero deprehensus sit (Symb. Joach. p. 4 et 33 sq.).

Qui in Kolsteri quoque Bucolicon commentario novissime conscripto[5]) opiniones suas, etsi plus semel improbatas, nusquam tamen accuratius examinatas esse contendit. nec non a Kiesslingio de Asconii Pediani fide disputante[6]) illas obiter perstrictas vidit. atque horum uterque in Bucolicon terminis constituendis Ribbeckium et memoriam grammaticorum secutus est, nisi quod per quattuor annorum spatium Kolsterus triennium distribuit (v. p. XII et 75). Sellarus[7]) autem et Nettleshipius[8]) triennio propter eclogam decimam neglecto annis 712—17 Bucolica conscripta esse statuunt.[9])

---

[1]) Quibus temporibus quoque deinceps ordine Vergilius eclogas composuerit. Stockerau 1876.

[2]) P. Verg. Maro's Bucolica, erkl. u. hgb. v. E. Glaser. Halle 1876.

[3]) N. Jahrb. f. Philol. u. Pädag. 1877 II p. 496 sq.

[4]) cf. praef. p. 2/3 et quae singulis praelusit eclogis.

[5]) Vergil's Eclogen in ihrer strophischen Gliederung nachgewiesen. Leipzig 1882.

[6]) index lect. Gryphisw. aestate 1883 habendarum p. 5—6.

[7]) The Roman poets I p. 133 sq.

[8]) Ancient lives of Vergil p. 39 sq. Vergilii opera with a commentary by John Conington. 4th edition by H. Nettleship.

[9]) Hoc commentariolo iam conscripto duae disputationes mihi

His diversissimis opinionibus perlustratis iam quid de grammaticorum memoria iudicetur maximi esse momenti ad solvendam hanc quaestionem apparet. de illa igitur prius disserere opus est quam in singularum eclogarum tempora inquiramus.

Intellegenda autem sunt illustrium virorum Probi, Servii, Donati testimonia, quibus Vergilius duodetriginta annos natus Bucolica incohasse intraque triennium perfecisse traditur.[1]) atque ut accuratius haec persequar, natum annos duodetriginta Vergilium ‚Bucolica *edidisse*' ‚certum esse' affirmat Probus (p. 7, 7 Keil) ut in Asconii Pediani positum auctoritate. ubi in verbo ‚edidisse' recte a quibusdam viris doctis offendi nego,[2]) cum ex sententiarum nexu eluceat non de toto Bucolicon libro, sed de primis eclogis a Vergilio emissis grammaticum cogitasse. nam quaecunque et de pastorum nominibus et de allegorica horum carminum ratione ibi narrantur (p. 6, 33 sq.) ad primam eclogam omnia spectant.[3]) in qua conscribenda poëtam, quamvis senex Tityrus inducatur, XXVIII annos natum fuisse ut patefiat, Asconii laudatur de incohatis Bucolicis testimonium. atque hoc idem Probus secutus in vita commentario praefixa (p. 1, 12 K) sic exhibet: ‚Scripsit Bucolica annos natus VIII et XX' nec non Servius in praefatione Bucolicon (II p. 96 Lion): ‚Sane sciendum Vergilium XXVIII annorum *scripsisse* Bucolica.' quibus locis id tempus quo Bucolica scribi coepta sint significari manifestum est: quippe uno eodemque anno totum Bucolicon

---

in manus venerunt nuper editae Ewaldi Krause (Quibus temporibus quoque ordine Verg. eclogas scripserit. Berol. 1884) et Alfredi Przygode (De eclogarum Vergil. temporibus. Berol. 1885): qui refutatis Schaperi opinionibus omnes eclogas intra annos 713—15 exstitisse demonstrare student. quos quanquam multis in rebus eadem ac me statuere video, tamen vel ad eclogas ipsas interpretandas vel ad explicandam grammaticorum memoriam me quoque spero paululum conferre posse.

[1]) cf. Ribbeck, Prol. 1. Krause p. 1 sq. Przygode p. 57 sq.

[2]) cf. Kiessling, ind. lect. Gryph. p. 6. Schaper in diario Bursiani 1882 II p. 134. Krause p. 1.

[3] v. maxime p. 7, 6 sq.: ‚Nec mirandum quod infra [scil. Ecl. I 46] se senem dicit, cum certum sit eum ut Asconius Pedianus dicit XXVIII annos natum Bucolica edidisse.'

librum conscriptum esse nemo grammaticus docuit (cf. Servius I p. 1 L).[1])

Quam vero altero Probi loco (p. 1) Parisinus, altero (p. 7) Vaticanus scripturam praebet XXXVIII[2]) eam ipsius poëtae testimonio satis refelli puto. etenim ‚*audacem iuventa*' se de Tityri fatis cecinisse in Georgicon ultimis versibus anno fere 724 conscriptis[3]) Noster de se praedicat.[4]) atqui adulescentiam eius fieri non potest quin aliquot annis ante 724 peractam putemus, si quidem Horatius quinque ferme annis minor se ‚calidum iuventa' fuisse ‚consule Planco', i. e. anno 712, in carmine a. 730 composito (III 14, 27) profitetur. itaque iuvenem XXVIII annorum Nostrum iam bucolica carmina edidisse apud Asconium scriptum fuisse iudico.

Qui grammaticus illustrissimus licet falso a Servio et Philargyrio (ad ecl. III 105) tradatur ‚aliquid Vergilium dicentem audisse'[5]) — Vespasiani nimirum temporibus si non clarus habitus est at certe senex vixit (cf. Sueton. p. 92 Reiff. Madvig, De Qu. Ascon. Pedian. p. 5 sq. 15 sq.) — ab Asinio Gallo, quem a. 746 consulatu functum, a. 786 mortuum esse constet (C. J. L. I 179 et Tac. Ann. VI 23) quin de rebus Vergilianis edoctus sit (cf. Serv. ad ecl. IV 11) non est quod dubitemus.[6]) cui summam fidem habendam esse vel

---

[1]) in eandem fere sententiam disputat Krause p. 1.

[2]) qua cum Kiesslingius offensus esset, Schaperus ad probandam suam sententiam usus est.

[3]) cf. Ribb., Proleg. p. 18. Schaperus in commentar. Georg. IV 559 sq.

[4]) unde etiam ad refellendam eam Schaperi opinionem qua septem priores eclogas anno 722 editas esse statuit (commentar. Bucol.[7] p. 14. Bursiani diar. l. c.) potest repeti argumentum: namque Tityri nomine non unam eclogam significari Ovidius testis est (Amor. I 15, 25) sic maiora Vergilii opera persequens: ‚Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur'.

[5]) fortasse omissum esse nomen eius qui ipsum poëtam adisset posteaque ab Asconio consultus esset satis probabiliter ex eis quae apud Philargyrium exstant viri docti collegerunt (Ribbeck, Prol. 98. Kiessling. l. l.).

[6]) cf. Proleg. p. 102. Cornelium autem Gallum, qui septem annis ante Vergilium diem supremum obierit, eo magis huc inferri

inde recte viri docti collegerunt quod ‚certum esse' quod de Bucolicon temporibus apud illum legeretur Probus adnotavit.

Nec mirandum est ad eundem Asconium eiusque librum contra obtrectatores Vergilii scriptum[1]) cum alia referri quae de Vergilii carminum temporibus a grammaticis tradantur tum maxime quod *triennio* Bucolica confecta esse dicunt.[2]) cuius rei memoria non solum apud Servium exstat qui ‚constare' doceat Vergilium Bucolica triennio scripsisse et emendasse (I p. 1 L), sed etiam apud Suetonium (p. 60, 5 R.), ex quo Donati vitam Vergilianam ‚resectis pannis interpolatis' totam pendere post Reifferscheidii disputationem multis probatam[3]) nuper Nettleshipius novis argumentis firmaverit. (Ancient lives p. 28 sq.)

At hic ipse vir doctus errore lapsos esse veteres grammaticos in eisque Suetonium opinatur cum triennium illud in nostram memoriam intulissent.[4]) quos, cum circa annum 714 eclogam primam, ultimam a. 717 ortam esse sibi persuasissent, illos annos Bucolicon terminos statuisse. atque haec opinio Servii[5]) et Suetonii[6]) verbis ei videtur firmari, ex quibus existimasse illi grammatici cognoscantur *post* amissum redditumque poëtae agrum eclogas componi coeptas esse. quamquam haec nisi ad vivum resecta erunt id unum docent: quo tempore poëtae res agrorum divisionibus turbarentur eclogas scriptas esse magnasque in eis inesse eorum

---

nolim quod in eo Serviano loco quo simpliciter Gallus laudatur (ad ecl. IV 11) nisi de Asinio cogitari non potest.

[1]) cf. Donatus p. 66 Reiff. Proleg. 96 sq.

[2]) Prol. 1. ibid. 101 sq.

[3]) Quaest. Sueton. p. 398 sq. Hagen in Jahnii Annal. suppl. IV p. 680 sq. Ribbeck, Proleg. p. 3/4. praef. ed. min. p. VI sq. Sellar, The Roman poets p. 100.

[4]) Ancient lives p. 48 sq. Vergil ed. Conington 4th edition p. 17.

[5]) I p. 1 L. = Nettleship, Anc. l. p. 22: ‚Amissis ergo agris Romam venit et — agrum quem amiserat meruit. Tunc ei proposuit Pollio ut carmen bucol. scriberet e. q. s.'

[6]) p. 59, 1 R = Nettleship, ib. p. 13: ‚ad *Bucolica transiit*, maxime ut Asinium Pollionem Alfenum Varum et Cornelium Gallum celebraret *quia* in distributione agrorum — *indemnem se praestitissent.*

laudes qui Vergilio in rerum angustiis opem tulissent.[1]) nec video cur perverse de eclogis iudicasse quam minus accurato genere dicendi usos esse illos grammaticos statuere malimus. namque magnam eclogarum partem illustrium virorum laudibus omnino carere illos ignorasse quis credat? qui ut eundem esse ordinem iudicarint quo eclogae nobis traditae atque quo compositae essent tantum abest ut incertum esse quo ordine scriptae sint Servius (II p. 96 L.) diserte testetur.[2]) itaque vanis nixum argumentis Nettleshipium reiecisse grammaticorum memoriam apparet.

Quam ne Schaperus quidem contemnere aut infringere ausus est: qui alteram Bucolicon editionem triennio eamque annis 727—29 factam esse statuit. Servii autem testimonio (I p. 1 L,[3]) ut ad firmandam suam sententiam uteretur, emendandi verbum (‚scripsisse et emendasse') ita ab illo usurpatum esse dixit ut ad iteratas carminum iam editorum curas referretur (Symbol. Joachim. p. 4 5). id quod ex collocatione maxime verborum quae sunt de Aeneide (‚nec emendavit nec edidit') vir doctus sibi visus est indagasse: quibus sic positis negat fieri posse quin a maiore ad minus descendat oratio. verumtamen quod aliunde quoque (ut ex Suetonio p. 60, 13 R.) innotuit Aeneidi summam manum non impositam esse ex loco illo Serviano colligi eo magis consentaneum est quod comburi illud carmen, quia *non emendatum* esset, poëta ibidem narratur iussisse (‚*unde* eam moriens praecepit incendi').[4]) hoc apte explicari non potest nisi limam car-

[1]) quos iam ineunte anno 713 a poëta nostro laudibus ornatos esse cum Suetonii verbis optime convenire Krause p. 13 ostendit, qui non restitutos agros, sed indemnem redditum poëtam suscipiendorum Bucolicorum causam illic dici moneat.

[2]) cf. etiam Probus p. 6, 9 K: — ‚Bucolica scripsit, sed non eodem ordine edidit quo scripsit.'

[3]) = Nettleship. 22: ‚Tunc ei proposuit Pollio ut carmen bucolicum scriberet, quod eum constat triennio *scripsisse et emendasse*. Item proposuit Maecenas Georgica, quae *scripsit emendavitque* VII annis. Postea ab Augusto Aeneidem propositam scripsit annis XI, sed *nec emendavit nec edidit;* unde eam moriens praecepit incendi'.

[4]) cf. etiam quae proxime sequuntur: ‚Augustus vero, ne tantum opus periret, Tuccam et Varium hac lege iussit emendare ut superflua demerent, nihil adderent tamen' (l. l. p. 23).

mini defuisse paulo supra grammaticum docuisse statuerimus (cf. etiam Przygode p. 59 sq.).

Perpoliendi vero curam retractationem, non emendationem dici solere ex loco Taciteo a Schapero allato[1]) haud facile cognoveris. quippe qui nos doceat tollendis eis quae pravae *interpretationi* materiam dederint Materni fabulam retractari. quod cum interpretatio carminis ex legentium vel audientium pendeat iudicio, de secundis curis quin Tacitus loquatur dubitari vix potest.

Contra *emendandi* verbum ita mihi videtur a Servio usurpari ut similem ei significet curam quam ab illustribus grammaticis in edendis veterum libris adhibitam esse subscripta interdum codicibus verba ‚legi atque emendavi' vel ‚distinxi emendans' nos docent.[2] namque non minore diligentia ab eis qui scripserant libros ad edendum paratos esse, dum vita suppeteret, verisimile est quam ab eis qui defunctorum iam poëtarum carmina edenda curarent. atque in prioribus libris cum tali modo elaborasset Vergilius, eos publici iuris facere non dubitavit; Aeneidem quia nondum emendaverat, in lucem prodire vetuit (non emendavit itaque non edidit). sic recte intellegi mihi videntur quae Servius de carminibus Vergilianis rettulit.

Schapero autem ne assentiamur de emendandi verbo disserenti ipse grammaticus obstat, qui triennio scripta *atque emendata* esse Bucolica dicat. unde, si Schaperi sequamur interpretationem, duas Bucolicon editiones brevissimo trium annorum spatio factas esse colligamus. id quod cum consentaneum non sit neque ipsi Schapero placuerit, perverse eum apparet de toto Serviano loco disputasse.

---

[1]) Tac. dial. c. 3: ‚An ideo librum istum apprehendisti ut diligentius *retractares* et sublatis *si qua pravae interpretationi materiam dederunt*, emitteres Catonem non quidem meliorem, sed tamen securiorem'.

[2]) v. subscriptionem Mavortii carminibus Horatianis subiectam (ed. Bentley praef.), Asterii in Mediceo codice Vergiliano (Ribbeck, Prol. 222) nec non aliorum titulos in codicibus Persii, Lucani, Martialis reperiendos, de quibus copiosissime egit O. Jahnius in commentatione de subscriptionibus antiquis (Acta soc. liter. Lips. 1851 p. 348 sq.). cf. Sueton. de grammat. et rhetor. c. 24.

Denique Otto Ribbeckius quae de incohatis Bucolicis et quae de triennio exstant testimonia coniungenda esse intellexit. (Prol. 1.) ex quibus haec effecit: Vergilium Bucolica XXVIII annorum iuvenem, i. e. anno 712, edere coepisse incohataque Asinii Pollionis suasu intra triennium, h. e. annis 713—15 perfecisse et emendasse. in hac tamen computatione id mihi displicet quod eum annum quo Bucolica scribi coepta sint vir ille doctissimus triennio contineri noluit. namque ut aliqua eius generis carmina prius composita sint quam Pollio bucolicae poësis colendae Nostro auctor exsisteret,[1]) neque in traditarum decem eclogarum numero illa ponenda,[2]) neque si in his ponantur a. 712 orta putarim. immo Bucolicon librum, qualis quidem traditus sit, Pollione auctore incohatum totumque triennio confectum esse ex Servii verbis supra laudatis mihi videor colligere. quorum hoc — de incohatis Pollione auctore Bucolicis dico — ex ipsis eclogis desumptum esse apparet, in quibus Pollionis ‚iussu‘ haec ‚carmina coepta‘ esse dicantur (VIII 10).[3]) incohasse autem Bucolica non a. 712, sed iuvenis XXVIII annorum Noster ab Asconio traditur: qua erat aetate usque ad Idus Octobres anni 713. nihil igitur per grammaticos illos obstat quominus intra annos 713—15 eclogas compositas esse iudicemus.[4])

---

[1]) v. etiam Glaserum, edit. Bucol. p. 2.

[2]) videlicet ipse Ribbeckius (l. l.) a traditis decem eclogis carmina sive non perfecta sive non edita seiungit quorum frustula in ecl. IX 23 sq. 39 sq. laudentur: quibus ad Theocriti idylliorum exemplar accuratissime expressis ita Pollio videtur delectatus esse ut ad hoc poësis genus factitandum eum incitaret.

[3]) nec non quod in III. ecloga bucolicam suam poësin Pollioni probari dicit id videtur legentibus ostendere voluisse: edendis eclogis se illius consilium secutum esse. v. etiam Kolsterum p. 48.

[4]) quas ne annis 712—14 scriptas putemus octava ecloga caveri infra videbimus.

II.

Videamus nunc in singulis eclogis quaenam insint temporum indicia[1]) et quomodo haec cum grammaticorum memoria conciliari possint.

Atque ex decem eclogarum numero nihil habent quo originis tempus definiatur secunda cum tertia, quinta, septima.[2]) de quarum ordine hoc Vergilius ipse nos docet (V 86 sq.) secundam et tertiam ante quintam ortas esse: eadem enim qua illas cicuta hanc se cantasse profitetur. neque ex ceteris unam alteramve quo tempore haec conscripserit iam exstitisse verisimile est, nisi graviora bucolicae artis specimina, in quibus prima ecloga ponitur, eum silentio praeterisse putamus. certum est nondum exstitisse nonam, cuius versus 19/20:

‚Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis Spargeret et viridi fontes induceret umbra?' ad quintae versus 20 et 40 referri Heynius probaverit. ex *septima* autem illud cognosci Ribbeckius (p. 4) ostendit eam recentiorem esse altera, quae repetitis formosi Alexidis (v. 55) nec non Corydonis (v. 70) laudibus tecte significetur. propius vero a Bucolicon initiis ideo eam collocaverim quod deperditorum agrorum necessitates in ea non tanguntur.[3])

---

[1]) quippe non eodem ordine scriptas atque editas esse eclogas iam a veteribus interpretibus intellectum esse vidimus (p. 12). traditum autem ordinem, quem a Verg. ipso traxisse originem Georgicon ultimi versus docent, haud infeliciter Phil. Wagnerus coniecit (in proleg. editioni Heyn. praemissis p. 49) eo consilio electum esse ut carminibus amoebaeis (I. III. V. VII. IX) variarent non amoebaea (II. IV. VI. VIII. X). cui legi ne octava quidem ecloga videtur obesse, quae non tam ex alternis duorum pastorum cantibus quam ex duobus Theocriti idylliis (III. II) inter se oppositis constet (cf. Ribb., Prol. 9). cf. etiam Krause p. 5 sq., qui id praecipue Maronem spectasse dicit ut simillimas inter se eclogas (I IX. II VIII. III VII. IV. VI) quam maximo spatio distineret.

[2]) cf. Prol. 2. Nettleship. 49.

[3]) ceterum quod ‚umbrosi subter pineta Galaesi', h. e. in agro Tarentino, hanc eclogam cum tertia et altera cantatam esse Prop. III 34, 67 sq. narrat (cf. Nettleship. 49) ipsis Vergilii verbis redarguitur:

Omnium igitur antiquissimae habendae sunt *secunda* et *tertia*: quibus cur ‚Tityrum‘ anteposuerit poëta haud difficile est cognitu, quoniam Caesaris laudes illa continentur. atque Corydonis querellas ex vero amore ortas esse quo Noster in pulcherrimum Asinii Pollionis servum, Alexandrum nomine, arsisset etsi veterum fuit opinio,[1]) tamen omni probabilitate carere mihi videtur. etenim ut carmini mandaret quibus ipsius animus afficeretur curis, eum a Polyphemo aut a Comasta Theocriteo verba mutuatum esse vix crediderim.[2]) Propertius vero quod cum huius eclogae mentionem faceret (III 34, 73 sq.) pueri a Vergilio amati non tetigit famam (cf. Ribbeck, l. c.) in ea elegia qua de poëtarum amoribus carmine pervulgatis multum praedicaret (v. 85 sq.) haud scio an allegoristis illam relinquendam esse probet.[3]) sed etiamsi Pollionis servum ab hac ecloga procul haberi velim, ipsum Pollionem eius concipiendae vel edendae auctorem Nostro fuisse haud vereor ut recte statuam. neque enim esse nobis persuasimus cur Bucolicis illius suasu editis hanc priorem putemus. quod cum Asinius inde a Mundensis pugnae tempore in Hispania commoratus (App. B. C. IV 84) exeunte anno 711 Transpadanae Galliae praeesse coeperit (ib. III 97. Vellei. II 63, 3), ne potest quidem ante annum 712 Mantuanus poëta illius gratiam inisse. ceterum tum natam esse eclogam II. cum Pollio Trans-

ex quibus hanc ad Mincii ripas (VII 11/12), illas prope Pollionem (III 84 sq.), Transpadanae Galliae praefectum (cf. Serv. ad ecl. II 1), natas esse discimus. quas quam non Sextus memoria complexus sit, vel ex secundae tertiaeque verbis minus accurate laudatis intellegitur (cf. E. III 70/71 et II 40/41 cum Prop. l. c. 69/70). v. etiam Ribbeckium. praef. ed. min. XXV. adn. 4 et XXVI adn. 3.

[1]) Serv. ad ecl. II 1 et 15. schol. Bernens. ad ecl. II 1. Martialis VIII 56. Apuleius apol. c. 10. Donatus p. 57. 1 R. ex quibus ne Donatus quidem, cui soli fidem habendam esse Ribbeckius censuit, allegoristarum nugas omnino reiecit cf. p. 58, 2 R.

[2]) cf. Schaper, de Verg. ecl. interpret. et emend. p. 15.

[3]) quos Caesaris potius vel Maecenatis nomine fabellam si modo finxissent ornaturos fuisse eo minus Krausio (p. 41) assentior quod de intima Pollionis et Vergilii familiaritate et ex tribus eclogis (III. IV. VIII.) et ex genuina veterum memoria satis multum innotuit.

padanam Galliam teneret expressis verbis Servius (ad ecl. II 1) docet (cf. Ribbeck, Proleg. 4).

Atque eidem fere tempori assignandam esse *eclogam tertiam*, in qua bucolicam suam poësin Pollioni probari Noster glorietur (v. 84 sq.), ne dicere quidem opus erat,[1]) nisi in ipso Pollione illic commemorato Schaperus offendisset. cui octo versus inde ab octogesimo quarto ‚et vocalium copulationibus suspecti et rerum dissimilitudine a ceteris carminis amoebaei partibus adeo diversi‘ videntur esse ‚ut eodem quo illae tempore scribi vix potuerint.' (Symb. Joach. p. 12.) quare in altera Bucolicon editione annis 727—29 facta eos adiectos esse ponit. ac de metricis rationibus infra dicendum erit. rerum vero dissimilitudinem et varietatem cum iam Heynius cognovisset amoebaeum carmen quam maxime decere (Vergil. I p. 97), ne de aequalibus quidem poëtis iudicia in aliis eclogarum locis non proferri (coll. E. IX. 32 sq.) Przygodius recte monuit.[2]) ac nostro loco Pollionem, qui quidem Bucolica aggrediendi auctor ei exstiterit, elegantissime Vergilius ita celebrat ut et quanti sua intersit illi probari et quanti ipse illius carmina faciat perspicue cognoscatur. cuius iudicio laudato quod bucolicam suam poësin defendit, id ipsis eis temporibus quibus eclogas edere coeperit optime convenire apparet. ex Bavio autem poëta v. 90 exagitato ita non efficitur admodum recentem hunc locum esse ut anno 719, quo illum obisse Hieronymus tradit (Sueton p. 41, 4 R.), eum pateat esse antiquiorem.[3]) namque mortuo adversario maledixisse idque ad augendas eius qui sibi faveret laudes neutiquam Vergilium arbitrabimur. noli igitur de octo his versibus Schapero credere.

In *quintae* tempore definiendo nihil eo iuvamur quod Daphnidis mortui persona necatum Caesarem significari quos-

---

[1]) nam quod Ruaeus olim coniecit haud procul a Dalmatici triumphi tempore (715) eam collocandam esse, ex pecoribus pro Pollionis salute immolandis (v. 86 sq.) audacius quam verius enucleavit.

[2]) qui Schaperi argumenta accuratissime persecutus ipsaque Vergilii verba interpretatus (p. 8—12) nihil esse causae evicit cur ceteris huius carminis partibus illi versus posteriores putarentur.

[3]) cf. Ribbeck, Proleg. 2.

dam ex veteribus grammaticis tradidisse apud Servium legimus (ad ecl. V 1 et 20, cf. Ribbeck., Prol. 2, Krause p. 43 sq.). quem admodum incertam sequi memoriam inde cognoscitur quod alios simpliciter Daphnidem pastorem, alios Flaccum Vergilii fratrem, alios Quintilium Varum amicissimum hac ecloga narrat intellegi voluisse (ad ecl. V 20.[1]) cf. Ribbeck, l. c.). attamen plerique ex recentioribus interpretibus ad Caesarem hoc carmen referunt.[2]) quam opinionem nuper Nettleshipius (A. L. p. 39 sq.) ita defendere conatus est ut grato in Caesarem animo cum Transpadanos omnes, utpote civitate ab eo donatos, tum Nostrum fuisse doceret nec non duas res mirabiles, quas Caesari accidisse Suetonius narrat, in nostra ecloga (v. 24 sq. 56 sq.) tangi ostenderet.

Sed quamvis magno amore Noster Caesarem complexus sit, inde minime sequitur eum qua ecloga ad Theocriti (maxime Id. I) exemplum Daphnidem pastorem concelebraverit dictatorem occisum significari voluisse. bestiarum autem luctum vv. 24 sq. expressum (ut de aliis difficultatibus taceam) si ad Caesaris necem referre velis, quid tandem *Poenis* leonibus Daphnidis interitum ingemescentibus facias?[3])

Sed utut haec sunt, quanto post Idus Martias anni 710 Vergilius illud argumentum tractaverit definiri omnino non potest, neque quod Spohnius coniecit ad ipsa Divi Julii natalicia a. 712 primum sacris celebranda hoc carmen scriptum esse quidquam habet quo firmetur (cf. Ribbeck, Prol. 3).

Servii vero testimonio Amyntae nomine (v. 8 et 15) Cornificium poëtam significari narrantis quidquam ad hanc rem dirimendam effici nego. nam etiamsi hoc allegoristis

---

[1]) ex quibus qui Flaccum volunt Donati auctoritatem sequuntur p. 58, 1 R. cf. etiam Philargyr. ad ecl. V 20.

[2]) cf. Agresti, studii critici sulla Bucolica di Virgilio p. 42 sq. Glaser, ed. Bucol. p. 68. Kappes, ed. B. p. 20. Bitschofsky, Quibus temporibus etc. p. 5 sq. Sellar, The Roman poets p. 139.

[3]) Ceterum ecl. IX vv. 19/20 in hac re non nullius esse momenti recte Krausius p. 44 sq. cognovit. si enim ecloga V. C. Julius Caesar ad astra tolleretur, non illos versus, sed eos quibus Daphnidis virtutes ac laudes praedicarentur nonae Vergilium inserturum fuisse, praesertim quae ad Caesaris Octaviani animum ei conciliandum vel reconciliandum scripta esset.

largiamur (quos ne Ribbeckius quidem hoc loco spernendos putat, Prol. 2), eundem esse hunc Cornificium Vergilii obtrectatorem (Cledonius p. 1898. Ribbeck, Prol. 96) atque illum quem in Africa pugnantem (Dio XLVIII 21, 6) anno fere 713 occisum esse constet (Sueton. p. 41 R. cf. Drumann, Hist. Rom. II 617) vix mihi persuadeo.

Certiora de earum eclogarum temporibus statui possunt quae cum agrorum divisione a. 713 facta (App. B. C. V 3 et 13) cohaereant. atque cum hac artissime coniunctam esse *eclogam primam* neminem fugit, neque exstiterunt quibus allegorica huius carminis ratio neganda videretur. Tityri enim persona usus cum se ipso bene actum esse Vergilius ostendit quod suo agro esset temperatum, Meliboei autem querellis popularium fortunam, qui patrimoniis expulsi novas sedes quaerere coacti erant, complorat et commiseratur. atque in has calamitates qui factum esset ut Mantuani inciderent quoniam accuratissime Ribbeckius (Proleg. 4 sq. praef. ed. min. XVIII sq.) exposuit, meum non est repetere. a quo tamen in interpretanda ecloga I. paululum discedo. neque enim quod veteres quidam grammatici tradunt (Serv. II p. 96 L. cf. Probus p. 6, 9 sq. K.) iam tum Vergilio ereptum fuisse et missis a Caesare triumviris restitutum esse agrum ullo huius carminis loco mihi videtur prodi.[1]) immo omnia in eo ita sunt comparata ut turbatum ferocissimorum hominum vexationibus poëtae otium Caesaris interventu ei redditum esse inde patefiat. namque *manere*, non restitutos esse suos agros (v. 46)[2]) bovesque pascere, *ut ante*, sibi esse concessum (45) nec non ex apium susurro, *quo semper* solitus fuerit, in posterum quoque somnum capere licere (53 sq.) poëta dicit. quid quod *villa eius* omnibus rebus tam bene *ornata et instructa* est ut pomorum pressique lactis copia laudata Tityrus ex-

[1]) cf. etiam Przygode p. 25 sq.

[2]) ‚Fortunate senex, ergo tua rura *manebunt*' (ubi vocabulum ‚tua' praedicati loco usurpatum esse haud pauci viri docti existimant, v. Bénoist, Kappes, Schaper, Kolster in edit. Bucol.). cf. etiam IX 7—10: ‚Certe equidem audieram — omnia carminibus vestrum *servasse* Menalcan' — quae quin ad eclogae I. narrationem respiciant non dubito.

sules hospitio invitare non dubitet (80 sq.)? id quod in praedio modo ex militum manibus erepto vix inveneris. Mantuani autem *tum ipsum agris expulsi* pecudes illinc abigere novasque sedes quaerere narrantur (3 sq, 13 sq., 64 sq.). quorum agri bene culti quod *iam in eo est* ut trucibus militibus tradantur (70) capraeque ut ab aliis pascantur (75 sq.) vehementer poëta luget. vides Mantuanorum agros turbari coeptos Nostrumque perturbationibus exemptum in hac ecloga describi. quam immunitatem bucolicorum carminum laude sibi partam esse in ipsa hac ecloga poëta videtur significare. namque quod Caesarem sibi permisisse dicit ut securus oves pasceret et bucolicae poësi incumberet (v. 10: ‚*ludere* quae vellem *calamo* permisit *agresti*') haud scio an ipsam poësin causam fuisse cur patrimonio suo parceretur ille intellegi voluerit.

Pro quo tanto beneficio ita Vergilius gratias egit ut tanquam praesentem deum Caesarem iuvenem celebraret (vv. 6—10. 40—45). nec mirum quod ei divinas laudes tribuit a quo omnia sua quasi donata haberet. at Schaperus versibus 7/8 et 42/43 offensus est quibus sacra Caesari instituta esse dicerentur. quos negans a. 713 scribi potuisse in altera Bucolicon editione, ut auctam Caesaris dignitatem significarent, adiectos esse posuit.[1]) argumentis tamen ad firmandam hanc sententiam allatis prorsus nihil effici facile apparebit.[2]) nam quod Augustus se publice deum appellari aut templa sibi in Italia exstrui non passus est (Sueton. Aug. 52. Dio C. 51, 20) id, si modo poëtas prohibuit ne immodicis eum laudibus efferrent, non minus a. 727 quam a. 713 eis obstitisse fas est. quippe anno 724, cui versus nostros optime convenire Schaperus censet (commentar. Bucol. p. 18), nihil aliud nisi natales principis diebus festis publice agendis insertos esse Dio (51, 19) refert. sollemnia autem eius sacra neque aliis locis ante annum 740 occurrunt, quo tempore Horatius de aris numini Augusti ponendis loquitur

---

[1]) De ecl. Verg. interpret. p. 7—15. Symbol. Joach. p. 5—7. commentar. Bucol. p. 18.

[2]) cf. etiam Przygode p. 28 sq., qui eiectis illis versibus sententiarum rationem dissolvi optime demonstravit.

(Ep. II 1, 16)[1]), neque ex huius eclogae verbis recte colliguntur (Symb. Joach. p. 7): in qua Vergilius poëta *suo nomine* pro redditis agris gratias agens deum Caesarem appellat[2]) et menstruis sacris tanquam larem a se cultum iri festive pollicetur.[3]) atque aptissime cum laribus comparatur qui agris et rei familiari servandis providerit — pro qua tutela illis sacra facta esse ex compluribus poëtarum locis appareat.[4]) quae quod Caesari Noster obtulit iuvenili eius ardori qui servato patrimonio exsultaverit condonandum, non meditatae adulationi qua multis post annis principem Augustum veneratus sit tribuendum putarim.

In eiusdem agrorum divisionis tempora *eclogam nonam* incidere manifestum est: quippe sub Menalcae persona in hoc carmine inducta Vergilium ipsum latere haud spernendus auctor, praesertim qui nimium in eclogis allegoriae dari nolit, Quintilianus (VIII 6, 47) nos docet. atque hanc post primam collocandam esse auctore Servio[5]) plerique ex recentioribus interpretibus statuunt.[6]) quem enim agrum Caesaris gratia recuperatum illa praedicaverit, eum violentia militum denuo sibi ereptum esse hac poëtam conqueri arbitrantur. contra Nettleshipius (Anc. lives p. 41 sq.) *nonam*

---

[1]) cf. Vahlen, act. menstr. Academ. Berol. 1878 p. 688 sq. Mommsen, Hermes XV 103.

[2]) v. Glaserum, Neue Jahrb. 1877 II p. 499 sq. Kolsterum p. 9: ‚Ob auch andere den Gefeierten zum Gott erhoben ist ihm gleichgültig; persönlich hat er sich ihm als Gott erwiesen.‘

[3]) vide quam diversa a nostro carmine Caesaris invocatio sit *in primo Georgicon libro* (v. 24—42), ubi nón soli Maroni deus ille tutelaris exstitisse, sed quae concilia deorum mox eum habitura sint dubitari dicatur. eisdem temporibus etiam publice divinos honores illi tribui coeptos esse Appianus (B. C. V 132) auctor est.

[4]) Tibull. I 1, 19 sq. (Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis *agri Custodes*, fertis munera vestra, *lares*). ib. 10, 15 sq. Hor. carm. III 23, 3. sat. II 3, 164. Prop. III 30, 23. V 3, 53. cf. Preller, Mythol. Roman. p. 487 sq.

[5]) II p. 96 L. ‚Hinc est quod cum in prima ecloga legimus eum recepisse agrum postea eum querulantem invenimus, ut: Audieras et fama fuit‘ . . .

[6]) Ribbeck, Proleg. 5 sq. Ladewig, Schaper, Kappes, Glaser, Kolster in commentar. Bucol.

prius ortam esse ponit: in hac enim poëtam agris eiectum, illa in eosdem restitutum narrari, neque quidquam in eclogis occurrere cur bis expulsus esse existimetur.[1])

Ac recte quidem hic ex nonae primis versibus collegit novam atque inauditam poëtae calamitatem illis describi (cf. Krause p. 15 sq. Przygode p. 30). etenim quod nunquam ne sibi accideret metus fuerit, id ‚quoniam Fors omnia versat‘ sibi accidisse (v. 2—6), et quae carminibus suis servasse dicatur (7—10), ea ‚tela inter Martia‘ sibi erepta esse Noster conqueritur (11 sq.). neque tamen prius natam esse eclogam nonam inde efficere cogimur, dummodo ne pro *restitutis* agris prima gratias agi statuamus. in qua cum hoc exponi cognoverimus in finitimorum agrorum divisione unius poëtae praedium Caesaris gratia *servatum* esse, de *recenti* impetu nona querellas effundi (Krause p. 16) non est quod miremur. beneficii autem illius nusquam in hac ecloga mentionem fieri parum recte viri docti statuunt (Nettleship p. 42. Krause p. 25), si quidem ‚omnia carminibus vestrum servasse Menalcan‘ situ finibusque agelli descriptis Lycidas commemorat. neque in vanis rumoribus hoc a Moeride (11 sq.) poni (Nettlesh. l. l. Krause p. 27) video, quippe qui veram illam de Menalcae immunitate famam fuisse, sed tum iam in deterius eius res mutatas esse doceat: nam quod antea carminibus eius datum sit, eis ‚tela inter Martia‘ non iam tribui. quibus neglectis effectum esse dici (v. 11—16) ut Menalcas agris expulsus in summum capitis discrimen veniret facile est intellectu. hoc igitur ex nona ecloga cognoscimus poëtae agrum ob carminum eius laudem paulisper servatum, sed gliscente militum violentia ei ereptum esse nec multum in hac re afuisse quin ipse ab invadentibus occideretur.[2])

Iam in has rerum angustias delapsum haud mirandum est eum Caesaris qui antea sibi patrocinatus esset laudes exaggerare noluisse (Krause p. 25); nam splendida illius pro-

---

[1]) eandem sententiam Krausius amplexus et grammaticorum testimoniis et ipsis carminibus I et IX accuratissime perlustratis probare studet (p. 11 sq.). ex quibus una solaque calamitate poëtam afflictum esse recte ille quidem effecit, primam eclogam post nonam esse ortam non effecit. [2]) cf. Przygode p. 31.

missa non sine dedecore eius tum quidem commemorari poterant. quanto elegantius Noster nulla prioris auxilii mentione facta solis belli turbis illo tempore conflatis fortunam suam commutatam esse dicit (cf. Przygode, l. c.). qui quid meliore vitae condicione usus in bucolica poësi profecerit ut exemplis perspicuum reddat, varia carminum fragmenta et ex Theocrito translata (23 sq. 39 sq.) et ad suae aetatis res spectantia (27 sq. 46 sq.) huic eclogae inserit. ex quibus versus 46—50 ne Octaviani quidem laudibus, quamvis tectis, videntur carere. namque Julium sidus ,quo segetes gauderent frugibus' eo consilio a poëta laudari ut turbatis agris omnem spem in domo Julia positam esse patefiat quam maxime probabile est (cf. Nettleship. 42 sq. Krause p. 24 sq.).

Splendidiores eae sunt laudes quibus Varum a se celebratum iri, si Mantua per eum servata sit, Noster pollicetur (27—29). intellegendus est autem Alfenus Varus, qui legatus in Pollionis locum a Caesare substitutus agrisque dividundis praepositus (cf. Serv. ad ecl. IX 29 et ad VI 6 sq.) summam rerum in Transpadana Gallia tenebat. quem eo tempore primo Vergilius videtur adisse quo ceteri Mantuani agrorum divisione afflicti nequedum ea spe deiecti essent fore ut per Varum Maronis poësi faventem incommodis suis liberarentur. iam ipse poëta cum Vari auxilio egeret, repetitis eis versibus quos in illius honorem scribere coeperat quantum apud eum gratia valere sibi Mantuanisque visus esset luculentissime ostendit.

Neque vero his versibus illud auxilium ei partum esse crediderim quod prima ecloga praedicetur (cf. Nettleship p. 44, Krause p. 35). in qua non modo Vari nulla fit mentio, sed ne periculum quidem a poëta obitum ullo verbo tangitur. atque etiam vix putandus est Varus, utpote qui dividundis agris a Caesare praefectus esset, Nostrum ad impetrandam agri immunitatem Romam misisse. id quod a Pollione factum esse ne mireris, Antonii ille iussu Transpadanae Galliae praefuerat neque in divisionibus agrorum a Caesare institutis quidquam habuerat negotii.[1]) nullo igitur

---

[1]) de cuius assignationibus in Gallia factis nihil nobis innotuisse haud recte Krausio p. 23 offensioni fuit.

pacto primam eclogam post nonam prodisse ex ipsis carminibus efficitur.

At grammatici nobilissimi testimonio sententia illa comprobari videtur.[1]) in Probi enim commentario haec leguntur (p. 5, 30 sq. K): Mantuanorum agris dividi iussis Vergilium quoque agros suos amisisse, quos sexaginta veterani acciperent, amissos Caesaris gratia recepisse. qua re usque adeo irritatos esse veteranos ut eum occisuri fuerint nisi fugisset. id quod ipsum poëtam in nona ecloga contestari. gratias ergo agentem Augusto quod recepisset agros Vergilium Bucolica scripsisse, sed non eodem ordine quo scripsisset edidisse. *priore enim loco eam ponendam esse qua ereptos sibi agros queratur* — nonam scilicet — *quam eam qua acceptum testetur beneficium.*

Hanc, quam modo exposuimus, narrationem ita cum ipsis eclogis conspirare Nettleshipius arbitratur ut eam unice sequendam censeat. quanquam graves in ea discrepantias inesse paulo attentius legentem minime fugiet (cf. Krause p. 10). nempe ut omittam omnes has res post Actiacam pugnam factas esse narrari (p. 5, 22 sq. K.), ne illud quidem quod de eclogarum I et IX ordine grammaticus statuit cum eis quae de poëtae rettulit casibus ullo modo conciliari possunt. postquam enim restitutis poëtae agris veteranos adductos esse ut illius vitae insidiarentur hisque insidiis illum ad fugam compulsum esse (p. 6, 2 sq.) dixit, idem offendere non debuit quod in priore ecloga de beneficio, in posteriore de damno sermo esset. namque fugientem poëtam militibus sua permisisse cum per se consentaneum sit, tum ex nona ecloga eodem loco laudata elucet, qua eum in defendendo patrimonio paene occisum aegre fuga salutem invenisse legamus. ex ipsa igitur Probi narratione fieri non potest quin post acceptum beneficium Vergilius agris expulsus esse colligatur. quod si in eadem de mutando duarum eclogarum ordine sermo est, hoc nescio an rectius quam omnia quae antecedunt a vero Probo abiudicemus.

Sed ne illa quidem cum poëtae verbis satis concinere

---

[1]) Nettleship. 43 sq., cf. etiam Krause p. 12 sq., qui Probum *verum* nonam eclogam confidenter ante primam ponere dicit.

in aperto est (cf. supra p. 22). melius cum his congruunt quae ad explicandam eclogam nonam ‚alios' exposuisse Servius tradit (II p. 156 L.).[1]) quorum si sequemur testimonium, primo immunitatem agrorum impetrasse, tum lite cum veteranis proxime sedentibus exorta non sine magno capitis discrimine agris cessisse Maronem statuemus (cf. Ribbeck Prol. 7).

Ac quod Nostri spes in Caesare posita brevi tempore ad irritum redacta est ‚exorto extrema aestate anni 713 bello Perusino' (Prol. 5) videtur effectum esse, quippe quo et Caesaris opes imminutae et duces Antoniani, ut L. Antonio auxilium ferrent, ex Gallia decedere coacti sint (App. B. C. V 33). quo in numero cum primum Asinius Pollio provincia exiit et apertas in Caesarem inimicitias exercere coepit, veteranorum importunitatibus Noster obiectus est. neque Antonianorum clade opus erat ut tantis poëta calamitatibus implicaretur: id quod Vossius statuens (p. 451) aestati anni 714 nonam eclogam attribuit.[2]) qui quod arborum frondationem v. 61 commemoratam per longissimos dies fieri monet, eo levius adhibuit argumentum quod procul ab agris hanc eclogam conceptam esse[3]) a nullo negatur. quam exeunti fere anno 713 recte mihi videor assignare (cf. etiam Przygode p. 35).

Iam de tribus illis eclogis disputandum est quas ceteris multo posteriores esse Schaperus studuit evincere: *de quarta, sexta, decima.* quibus octavam adiungere ideo commodum videtur quod eos versus quibus solis huius carminis tempus definiri potest (v. 6—13) in altera Bucolicon editione adiectos esse vir ille doctissimus censuit.

Atque tres illas ut eodem quo ceteras triennio negaret

---

[1]) ‚Sane alii ordinem huius eclogae ita exponunt: Cum immunitatem agrorum Verg. impetrasset, lis est exorta de finibus inter eum et eos qui in proximo agros acceperant, ex quibus Clodius quidam dixit se omnem litem amputaturum esse interfecto Vergilio, quem poëta stricto gladio se insequentem fugit — et — servatus est.'

[2]) v. etiam Bitschofskyum p. 16—18.

[3]) in qua absentis Menalcae (vv. 4. 67.) mentio fiat.

ortas esse observatis gravibus quibusdam argumentorum et *rei metricae* discrepantiis ille commotus est. ex quibus has cum fusius enarraverit vir doctus (cf. Fleckeis. Ann. 1864 p. 772—790) iam paucis exponere ac diiudicare ex re erit.

Atque in hac disputationis parte id Schaperus sibi proposuit ut poëtam quo tempore tres illas eclogas conscripserit versuum pangendorum arte multum iam profecisse ostenderet. elegantiam autem poëtici sermonis ea maxime conspici putat facilitate qua verborum ordines maiore vel minore ambitu in numerorum ordinem inserantur (p. 772). hoc si recte interpretor id dicit: caveri ab elegantioribus poëtis ne nimis eae versus partes quae principali efficiantur caesura verborum inter se nexorum ordinibus dissecentur aut intactae relinquantur.[1]) quod artis praeceptum in dies diligentius a Nostro observatum esse Schaperus sibi visus est cognoscere. itaque in numerorum subtilitatibus ponit quod monosyllaba in prima versus sede a ceteris interpunctione segregata rarius (p. 772 sq.), eadem cum anapaesticis aut spondaicis vocabulis coniuncta minime (p. 778 sq.) in tribus eclogis occurrant. verumtamen neque in septem eclogarum nonnullis (I. II. V. VIII. IX.) monosyllaba secreta plus semel inveniuntur et monosyllaba cum pyrrhichio versum incohantia quae quidem in recentioribus eclogis legantur ipso teste magis etiam quam in illis a ceteris versus partibus diremta sunt (p. 775).

Rursus quod ab ea lege qua post tertium trochaeum non incidatur, nisi post secundam arsin verba sint distincta, quater in septem, semel in tribus eclogis poëtam aberrasse dicit (p. 779), parva sane haec est dissimilitudo. quam si quis casui tribuere nolet hoc reputet: ex quattuor illis exemplis unum (V 52)[2]) semiseptenaria caesura carere, qua trochaicam aeque apte fulciri nemo negat.[3]) multo autem magis, si modo offendi debebat, in eclogae sextae — quam

[1]) cf. etiam De tertio hex. lat. ordine p. 9.

[2]) cui addendum est IX 60 a Schapero omissum.

[3]) cf. Birt, ad hist. hexam. lat. (Bonn 1877) p. 11 sq. L. Müller, De re metrica p. 184 sq., quanquam hic in talibus versibus hephthemimeren primariam caesuram existimari mavult.

in recentioribus Sch. posuit — versibus 80/81 erat offendendum, in quibus continuasse minus eleganter trochaicam sine hephthemimeri incisionem poëta deprehendatur.[1]) elegantiores igitur rei metricae formas non semper in tribus illis occurrere perspicuum est.

Neque versuum clausulae amphibrachycis vel spondaicis ordinibus conformatae quod in tribus eclogis desunt, cum in ceteris ter inveniantur (p. 781), tanti faciendum esse putarim, quoniam versum dispondeo haud venuste terminatum in sola ecloga IV. (v. 49) positum videmus.

Graves autem versuum partitiones semitrinaria et semiseptenaria effectas cum Schaperus vidisset distinctione verborum post tertium trochaeum mitigari in omnibus eclogis solere, non erat cur doceret hanc incisionem septies in antiquioribus, in recentioribus ter spretam esse (p. 781). namque in triplici fere versuum multitudine facilius poëtam ab usu aliquo metrico quamvis sollemni habito deflexisse quis est qui miretur?[2])

Quod vero primum versus dactylum cum eis quae antecedunt sententia coniunctum saepius in tribus eclogis reperiri dicit (p. 774) qui fit ut maioris artis agnoscatur documentum, si quidem spondeo versum incohante eadem copulatio nisi in septem eclogis non occurrit? (p. 775)[3]) quid quod ordinem quintum, i. e. dactylum cum trochaeo, nunquam in tribus eclogis ab eis quae sequuntur diremtum videmus (p. 778 sq.)?

Rariorem elisionis usum maioris esse artis recte vir doctus perspexit (p. 784 sq.),[4]) nec infitiandum est duplici synaloepha in tribus eclogis tantum non vitata versuum elegantiam aliquanto augeri. verum syllabae colliquescentes caesura aut sensus interstitio diremtae[5]) ne in his quidem

---

[1]) nam quod L. Müllerus (p. 185) et Ribbeckius distinctis vocibus ‚super volitaverit' legendum censent Sch. in textum suum non recepit.

[2]) cf. Ribbeck, Prol. 12.

[3]) sextae enim versus 20/21 hiatu satis inter se distinguuntur.

[4]) cf. L. Müller, de re metr. p. 281.

[5]) quas apud optimum quemque poëtam, etsi parce adhibitas, Lachmannus (in Lucr. p. 413) invenit. cf. Hermann, Elem. doctr. metr. p. 33.

desunt (cf. IV 58. VI 59. X 50), quanquam gravius in nonnullis priorum eclogarum locis (I 13. III 25. VII 8) inter vocales elisione copulatas distinguitur. ceterum ipse Schaperus in unam ex tribus illis asperiorem intulit elisionem; nempe IV 61 deteriores libros secutus ‚decem abstulerint‘ pro ‚decem tulerunt‘ legendum esse censuit.

Paulo accuratius de eis elisionibus dicendum est quae post primum trochaeum cum interpunctione concurrant. quas cum paucissimas omnino esse Schaperus vidisset[1]) (p. 773), haud recte miratus est vocalis o in hac versus sede elisae unum in eclogis inveniri exemplum, Pollionis videlicet nomen in ecl. IV 12 insertum. ad quod eiciendum quo argumento metrico vir ille doctissimus usus est,[2]) id nondum refutatum esse contendit (Symb. Joach. p. 15). quanquam Ribbeckii iam exstabat iudicium exquisitiores numerorum formas parce a poëtis adhiberi monentis (Proleg. 13). sed concedamus paulisper non nihili esse illam Schaperi observationem — qui, quaeso, fieri potuit ut in hexametro versu Pollionis nomen poneretur nisi ultima eius syllaba eaque inter duas vocales elisa? id quod in altero eclogarum loco quo hoc nomen invenitur vel ter deinceps in quinque versuum spatio occurrit (III 84—88). atque hos cum non damnandos censuit, sed perfecto iam carmini longo post intervallo statuit insertos esse,[3]) ipse sibi non constitit. nam nec interpunctione unum ex his exemplis (v. 88: Qui te, Polio, amat) caret, et eam per totas eclogas Schaperus vult regnare legem ut inter duas vocales syllaba non elidatur nisi sequente arsi. cui legi cum pariter uterque locus repugnet neque tamen eodem modo a Schapero tractatus sit, prorsus ad libidinem eum apparet metricum illud argumentum adhibuisse (v. etiam Przygode p. 7 et 11/12).

Ceterum nominis substantivi ultimae syllabae post pri-

---

[1]) nempe quattuor in toto Bucol. libro invenit exempla.

[2]) scilicet quod ‚nec in nomine substantivo elisio ultimae syllabae sequente interpunctione nec syllaba in hac versus sede inter duas vocales elisa exemplo ex eclogis repetito satis defendi‘ possit. cf. etiam De tertio hex. lat. ordine p. 15 sq.

[3]) v. Bucol. et Georg. commentar. p. 33.

mum trochaeum sequente interpunctione elisae et ex Aeneide potest afferri exemplum (VII 716 Nursia, et), nec quod in Georgicis (IV 243) legitur notissimum illud (stelio, et)[1]) etiam nunc coniectura Schapero temptandum videtur.[2])

In eclogis vero nullis Vergilium in hac versus sede vocabulis usum esse nisi imperativis (p. 773)[3]) ab eo non debebat dici qui quidem Ecl. VI 34 ,omnia, et' interpunctione diremta in versus initio legeret. servando igitur Pollionis nomini metricas obesse rationes non est quod statuamus.

Hiatus ne in tribus eclogis nisi sequente nomine proprio occurreret ita Schaperus effecit ut in ecl. X 13 ,laurus' pro ,lauri' reponeret. quanquam sensus interstitium aut caesuram legitimam non minus iustam causam cum aliis poëtis tum Vergilio visam esse scimus cur hiatum admitterent.[4])

Bucolicae autem quae dicitur caesurae rariorem usum (p. 780 et 788 sq.) iam Gebauerus[5]) vidit inde ortum esse quod in tribus eclogis Noster ab imitatione Theocriti prorsus recessisset. in quibus cum primam eclogam poni videamus, quam ne Schaperus quidem circa annum 713 ortam esse neget, decimam, quae multo recentior ab illo putetur, non videamus (quippe magna eius pars, vv. 9—30, ad Theocriti exemplum expressa est), etiam huic discrepantiae nimis multum ab eo tribui patet.

Nullas igitur ex metricis quas Schaperus observavit in utroque eclogarum genere differentiis[6]) tantum valere mihi persuasi ut aliquanto post ceteras eclogae illae tres ortae

---

[1]) quod olim remota particula ,et' ei sanandum esse videbatur, cf. De tertio hex. lat. ordine p. 21.

[2]) v. Buc. et Ge. commentar. p. 177.

[3]) cf. commentar p. 196.

[4]) cf. L. Müller, de re metrica p. 309.

[5]) De poët. graec. bucol. — carmin. in eclog. a Verg. expressis p. 51 et 76.

[6]) quas Kolsterus p. 95 sq. gravissimas esse ratus inde repetendas duxit quod alium poëtam Graecum in tribus eclogis Noster sibi proposuisset exemplar. attamen cum nec quis fuisset ille poëta patefecerit nec qui eclogae quartae argumentum ex Graecis fontibus haustum esse posset satis probabiliter explicaverit, nihil est quod ei assentiamur (v. etiam Schaperum in Bursiani diario l. c. p 130).

esse colligantur. quarum *argumenta*, maxime quartae et sextae, a bucolicis carminibus alienissima iam Servio visa (II p. 96 L.)[1]) recte illi offensioni fuisse haud abnuerim. quae tamen offensio mea quidem sententia minime tollitur aut deminuitur, si ceteris multo post ortae esse illae existimantur. immo facilius mihi videntur explicari posse, si quo tempore Bucolicis componendis Noster operam dederit etiam argumenta cum pastorum vita laxius cohaerentia in illam redegisse formam putetur. sed quae fere tempora his argumentis conveniant iam ex ipsis carminibus nobis investigandum est.

Atque ut a *quarta ecloga* capiamus initium,[2]) ad Pollionem consulem anni 714 ea missa esse ipsius verbis cognoscitur (v. 3. 11 sq.). nec dubitandum est quin in mira temporum felicitate vixerit qui auream aetatem non in longinquis regionibus quaerendam,[3]) sed toto mundo eamque in ipso illo consulatu ingressuram esse caneret.[4]) quod vero ex futuro tempore ‚inibit' (v. 11) ad *designatum consulem* hanc eclogam missam esse in Servianis scholiis effici video (cf. Ribbeck, Proleg. 9), haudquaquam mihi probatur. namque quid obstat ne Pollioni consulatum modo adepto praeclaram illam fortunam Noster vaticinatus sit? totius autem carminis argumentum ‚exeunti anno 713 vel ineunti 714' minime convenit. certe quidem ‚iam' redire ‚Saturnia regna' (v. 6) aut ‚venturo saeculo omnia laetari' (v. 52) poëta dicens aliud ostendit tempus atque id quo L. Antonius et Fulvia armis tumultuque omnia miscuerint (Vellei. II 74, 3): a quibus conflatum a. 713 bellum ne gravissimum aut diuturnum evaderet paulisper Italos timuisse Appianus (V 50) docet. Perusia deinde capta M. Antonius cum victum a Caesare Lucium fratrem vere

[1]) cf. Serv. II p. 96 L.: ‚Sane sciendum VII eclogas esse meras rusticas — in tribus a bucolico carmine sed cum excusatione discessit, ut in genethliaco Salonini et in Sileni theologia'.

[2]) de qua conf. Krause p. 45 sq. Przygode p. 1—20.

[3]) qualem Horatius intellexit in epodon carmine XVI., cum Italiam civium discordia laceratam se beatorum insulis mutaturum esse dixit.

[4]) cf. Kiessling in Quaest. philol. a K. et Wilamow. editis fasciculo II p. 113.

anni 714 cognovisset (Dio XLVIII 15. App. V 52), adversus eum qui collega in triumviratu esset bellum parare coepit nec prius destitit quam auctumno eius anni per utriusque amicos Brundusinum foedus esset conciliatum (Dio l. c. 21. App. V 64). quo facto tanta omnium animos laetitia elatos esse accepimus ac si in perpetuum ab Italia depulsum esset civilis belli periculum (Dio XLVIII 31.[1]) App. V 64). in haec igitur tempora appropinquantis novi saeculi vaticinium quam maxime quadrat. in quo quae ‚sceleris vestigia' (v. 13) aut ‚priscae vestigia fraudis' (v. 31) etiam tum remanere dicuntur ad Sex. Pompeium ea rettulerim, qui ut in illius foederis societatem ab Antonio sibi promissam (App. V 52) ascitus sit tantum abest ut eum denuo impugnandum esse tum quidem Caesar et Antonius decreverint (App. V 65. Dio l. c.)[2]) atque has bellorum civilium reliquias (quales tum Romanis videbantur) quod sperat poëta Pollionis auspiciis omnino sublatum iri (v. 14) recte mea quidem sententia intellegi non potest, nisi facta iam esse pax illa clarissima statuitur, in qua componenda egregiam fuisse constet Pollionis operam (App. l. c.). auctumno igitur anni 714 hanc eclogam recte mihi videor assignare.

At offensionem nonnullis viris doctis praebet ‚nascens puer' quocum novi saeculi ortus coniungatur.[3]) quanquam ipsius consulis cui haec ecloga inscripta sit intellegendum esse filium vaticiniis promissum et per se consentaneum est[4])

---

[1]) *ὅσον ἐπὶ ταῖς τοῦ Ἀντωνίου καὶ τοῦ Καίσαρος καταλλαγαῖς, ὡς καὶ σφετέρας εἰρήνης τῆς ἐκείνων ὁμονοίας οὔσης, ἥσθησαν.*

[2]) hoc Pompeianum bellum quam aegre Romani tulerint ex Dionis intellegitur verbis: *ὅσον κ. τ. λ. ἥσθησαν, τοσοῦτον ἢ καὶ πλεῖον ἐπὶ τῷ πρός τὸν Σέξτον σφῶν πολέμῳ ἤσχαλλον.*

[3]) quem in dies exspectari, nondum natum esse multis huius eclogae locis perspicuum fit. neque enim, si ultima aetas *venisse* novusque saeculorum ordo nasci a poëta dicitur, iam *perfectam esse* illam aetatem cum Przygodio (p. 2 sq.) statuemus. qui nec Lucinae aliud esse munus quam ‚rite maturos aperire partus' nec ‚nascentem' idem valere quod ‚natum' ullis argumentis probavit, futura autem tempora in hoc carmine adhibita (velut desinet, surget, inibit, incipient etc.) et imperativos illos quibus vitae cursum inire puer iubetur prorsus neglexit.

[4]) ‚Pollioni consuli genethliacon inscribi, alterius alicuius filium

et veterum testimoniis firmatur.[1]) quorum longe gravissimum, Asconii Pediani dico, id solum illius aequales dubitasse nos docet utrum ad Saloninum an ad fratrem eius Asinium Gallum haec ecloga referenda esset[2]): quam vir ille clarissimus controversiam diremit cum ab ipso Gallo se audisse rettulit eclogam in eius honorem factam esse.[3])

Atque hunc Asinium Gallum a. 714 esse natum licet a nullo traditum sit haud scio an inde colligamus quod eum a. 746 ad consulatum pervenisse constat (Corp. Inscr. L. I p. 179). talem enim virum et genere et virtutibus insignem[4]) suo anno, i. e. tricesimo tertio aetatis — quem legitimum huius magistratus annum inde ab Augusti temporibus fuisse Mommsenus (Staatsrecht I² p. 553 sq.) probavit — consulatu functum esse quam maxime verisimile est.

Attamen sunt qui de Pollionis filio in hac ecloga sermonem esse nolint.[5]) ex quibus Nettleshipius p. 47 sq. (mitto enim allegoricas illas interpretationes quae nascentis pueri imagine vel Bacchi filium vel novum hominum genus vel pacem Brundusinam celebrari dicant, de quibus rettulit Prz. p. 1/2) negans regnum orbis terrarum aut divinum genus nisi domus Juliae proli apte praedici filium ex Caesaris et Scriboniae matrimonio anno 714 exspectatum hoc loco intellegi vult.[6]) qua in re non reputavit vir doctus quo tempore

---

dici felicissimum fore' inepte a quibusdam statutum esse Schaperus iudicat (De ecl. Verg. interpret. p. 36).

[1]) Sueton. p. 86 Reiff. Asconius apud Servium ad ecl. IV 11. Macrob. Saturn. III 7. cf. Ribbeck, Proleg. 9.

[2]) de his fratribus, utpote aetate non plus annum discrepantibus, iam illo tempore dissensionem fuisse nihil habet quod miremur, neque recte Schaperus (ap. Bursianum l. c. p. 134) hoc negavit fieri potuisse, si Pollionis nomen semper in hac ecl. exstitisset. cf. etiam Przygode 15, qui Gallo cognomen Salonini postea inditum esse Vossium secutus statuit.

[3]) cf. Kiessling in ind. lect. Gryph. 1883 p. 5.

[4]) cf. Tacit. Ann. I. 13 (cum Nipperdeyi adnot.) et VI 23.

[5]) cf. Th. Plüss in Fleckeis. Ann. 101 p. 146 sq. R. Hoffmann, de IV. Verg. ecl. interpret. Kolster in comment. Bucol. p. 59 sq. Nettleship, Ancient lives p. 46 sq.

[6]) quam sententiam Sellarus (p. 147) redarguit dicens poëtam, cum pro exspectato filio Juliam natam vidisset filiam, ne legentibus risum moveret, hanc eclogam mutaturum fuisse.

inter Antonium et Caesarem una orbi terrarum imperantes foedus componeretur alterius eorum filio regnum totius mundi praedici minus etiam potuisse. neque quidquam ad hanc rem valet Macrobii locus (III 7, 1) a Nettleshipio laudatus, qui de filio Pollionis Vergilium locutum esse, sed id quod ad principem suum spectaret versibus 43/44 adiecisse dicit.[1]) nam neque tum principis locum Caesar obtinebat neque, si duos versus ad futurum imperatorem spectare Macrobius putavit, in Caesaris potissimum honorem totum hoc carmen factum esse statuit.

Gravior mihi res est cum Schapero,[2]) qui non solum Pollionis filium, sed Pollionem ipsum ab hac ecloga procul habendum esse censeat. huius enim nomen et metricis rationibus suspectum et totius eclogae argumento repugnare sibi visum e versu duodecimo eiecit voce ‚orbis' pro eo inserta.[3]) ne autem audacissima coniectura in incertum revocetur ad quem consulem haec ecloga missa sit, consulis sine nomine allocutionem non potuisse ab aequalibus nisi ad Caesarem Augustum referri vir ille doctus probare studet. vult enim eo tempore hoc carmen compositum putari quo Augustus pacato imperio ad principis dignitatem provectus consulatuum numero Marium aequaverit. atque his ipsis temporibus illum, ut ‚subsidia dominationi' pararet (Tac. Ann. I 3), Marcello constat Iuliam filiam in matrimonium dedisse (Dio LIII 27). ex hoc igitur matrimonio suscipiendum filium nascentem esse puerum in nostra ecloga laudatum pro certo Schaperus statuit. de quibus tamen nihil mihi persuasit. nam licet paulisper consul Augustus rem publicam rexerit (v. Mommsenum, Staatsrecht II, 2. 834 sq., quem laudat Schaperus Symb. Ioach. p. 15 sq.), in carminibus eius temporis Caesari (Hor. I 2. 12. III 14) vel principi (ib. I 21) ei laudes tribui, non item consuli videmus.[4]) consulatum vero qui quidem

---

[1]) si enim aries insolito colore inductus fuerit (v. 43 sq.), portendi imperatori rerum omnium felicitatem.

[2]) cuius opinionem fusius enarratam nuper Prz. p. 6 sq. refellit.

[3]) Fleckeis. Ann. 1864 p. 770 sq. 792 sq. De ecl. Verg. interpr. p. 37 sq. Symb. Ioach. p. 15 sq. comment. Bucol. p. 35 sq.

[4]) nec quo nomine ad retinendam ‚legitimi imperii speciem' ute-

septimum iam annum continuatus sit verbis ‚Teque adeo-consule' significari haud crediderim. in quibus haec videntur inesse: ‚Non annis aliquibus interiectis, sed ipso qui nunc volvitur tui consulatus anno novus saeculorum ordo ingredietur' (cf. Prz. p. 7). quid quod infantis Marcello ex Julia nati ne apud Suetonium quidem, qui diligentissime in vita Augusti (c. 63—64) de partubus in domo Caesarea editis rettulerit, ulla exstitit fama? (cf. etiam Ribbeck., Proleg. 11 sq.) quod vero Vignolium interpretatum esse ‚de filio Marcelli et Juliae, qui editus ante nonum diem periit et ita nomine caruit' in Vergilio Burmanniano (praef. ad ecl. IV) legimus, hoc totum confictum ab illo ex commentariis Servianis apparet in quibus eadem fere de Salonino Pollionis filio narrentur (Serv. ad ecl. IV 1 et 60). falso igitur Schaperus Augustum in hanc eclogam inculcasse ostenditur.

Pollionis autem memoriam ut ex hoc carmine exstirparet duabus se causis motum esse dixit: argumento et re metrica. ex quibus metricas observationes pluris ab illo factas esse iam supra demonstrasse mihi videor (p. 28). argumentum vero huius carminis cum Pollione consule convenire ideo negat quod ad eum qui secundas in re publica egerit partes tantae ‚rerum gestarum et filii nascituri laudes' referri vix possint (Symb. Joach. p. 21). ac recte ille quidem contendit a. 714, ut ceteros omnes magistratus, sic eum quo Pollio fungeretur consulatum IIIvirorum imperio subiectos fuisse (cf. Staatsrecht II, 1 p. 700). neque tamen in Pollione consule tum ipsum eximiis laudibus celebrato mihi videtur offendendum. qui magistratum iniit quo tempore Brundusinum foedus inter Antonium et Caesarem compositum belli civilis metu Italos liberavit. hoc autem foedus quamvis non unius Asinii opera conciliatum sit, qui ab Antonii partibus ad hoc negotium esset delegatus (App. V 64), sub eius potissimum auspiciis, ut tum ipsum fasces gerentis, factum esse putabatur.[1]) nascentis igitur prolis fortunam describens satis ele-

---

retur cum a poëtis summa secum necessitudine coniunctis appellari voluisse consentaneum est. Przygode p. 6.

[1]) cf. Nettleship, l. c. 47: ‚Civil war was apparently put an end

ganter ,pacatum — patriis virtutibus (i. e. virtutibus Pollionis) orbem' poëta cecinit (cf. Krause p. 47. Przygode p. 16). nec mirandum est in tanta omnium laetitia felicissima liberae rei publicae tempora redisse putata consulemque, ut olim populo Romano, sic tum orbi terrarum imperare visum esse. quod si hoc ipso tempore Pollionis uxor partum erat editura filiusque vaticiniis promissus erat, quid magis dignum erat poëta amicissimo, praesertim qui multa ab illo collata in se beneficia vidisset, quam exspectatum puerum votis vocare et cum novi saeculi spe coniungere? cui puero quod (v. 17) regnum totius orbis futurum esse canit (namque aeternae vitae particeps fore non solus dicitur, sed cum omnibus iis quos aurea aetas latura sit vv. 7. 9.) ita explicandum videtur ut qui primus aurea aetate procreatus sit etiam primas inter huius aetatis progeniem dicatur acturus esse partes. ac merito quidem is qui adeo dilectus est dis ut prima novi saeculi proles evadat ,cara deum suboles, magnum Jovis incrementum' (49) appellatur, quasi a caelestibus editus et ab ipso Jove altus sit. minime autem ipsum puerum novi ordinis auctorem a poëta celebrari, sed ab eius natalibus beatissimi saeculi videmus repeti initia.[1])

Quae cum ita sint, nullam apparet huius eclogae partem in Pollionis consulis annum non quadrare. cuius nomen omni memoria nostra firmatum ex hoc carmine tollere nunquam animum inducam.

Transeo ad *eclogam sextam*, quam Varo se inscribi velle honorifica praefatione poëta ostendit (v. 1—12). atque hic qui laudatur Varus eundem apparet esse quem heroico carmine a se celebratum iri, si Mantua per eum esset servata, in ecl. IX vv. 27—29 Noster professus est.[2]) quem cum promissis parum stetisse Servius tradat (ad ecl. IX 10) — male

---

to by the peace of Brundisium, which had been brought about, in great part, by Pollio.' Przygode p. 13 sq.

[1]) cf. Sellar, The Roman poets p. 148: ,we find that the child is not really spoken of as the future regenerator of the age; he is merely the first-born of the new race'. cf. Przygode p. 20.

[2]) cf. Prz. p. 36 sq.

habitos enim a Varo Mantuanos in agrorum divisionibus refert — mirandum non est Nostrum ‚splendidi illius poëmatis consilium‘ mox deposuisse (cf. Ribbeck, Prol. 8). ne autem officio deesse videretur, ut excusantem quod sibi non liceret a bucolica poësi deficere hanc eclogam ad eum misit. quam in Vari honorem perscriptam esse vel ex ipso carminis argumento collegeris, si modo recte veteres interpretes tradunt (Serv. ad ecl. VI 13) sub Sileni persona Sironem philosophum induci, a quo Epicureae disciplinae praecepta simul cum Varo Noster audiverit.

Videmus igitur Varum illis temporibus iam aliquo modo Nostri gratiam meruisse: id quod servatis poëtae agris factum esse ex Probo (p. 53, 4 R.) et Donato (p. 59, 1 R.) discimus. neque hac ipsa re ad conscribendam eclogam VI. adductum esse Nostrum plerique viri docti non perspexerunt. ex quibus Flachius (Fleckeis. Ann. 1878 p. 636) Vari laudes ideo maxime Apollini gratissimas (v. 11/12) dici quod ille Vergilio ipsi patrocinatus esset optime monuit, modo ne ante primam et nonam hanc eclogam posuisset.[1]) quam pacatis Transpadanae rebus ortam esse facile cognoscitur: etenim illud tempus videmus describi quo agris et gregibus poëta timere desierit et ‚tristia condere bella‘ iam potuerit consilium capere (cf. Kolster p. 100 sq.).

Ribbeckium autem ineunti anno 714[2]) hoc carmen attribuere eo magis miror quod ad promissa solvenda illud conscriptum esse statuit. namque ut promissis staret agris per Varum servatis Noster adductus est (Prol. 6). hos autem in mediis belli Perusini turbis illi curae esse potuisse vix crediderim.

Nec magis Vossio calculum adicio qui aestate anni 715 hanc eclogam ortam putat (p. 287). neque enim video cur tam diu Noster officii oblitus sit (cf. Bitschofsky p. 19).

Quare exeunti fere anno 714 mihi attribuenda videtur.

Sed Schaperus Galli laudes affert Sileni cantui insertas (vv. 64—73) quibus demonstret post Galli mortem, i. e. post

[1]) idem de sextae tempore Krause p. 30 sq. statuit.

[2]) Prol. 8: ‚postquam primum anno ni fallor 714 ineunte poëta carmen illud recitavit.‘ praef. ed. min. XV.

annum 728 (cf. Sueton. p. 42 Reiff.), hanc eclogam scriptam esse.[1]) his enim versibus Noster Gallum poëtam in ipsum Musarum coetum induci et assurgente toto Apollinis choro fistula Hesiodea donari facit: quos ille nimis absurdos putat honores, si ad vivum poëtam atque etiamtum tironem referantur (Symb. Joach. p. 27). at nemini, opinor, hoc poterit offensioni esse qui quidem Propertii carmen suavissimum (IV 3) in animum revocaverit quo se somniantem poëta facit se in Helicone monte versari et ab ipso Apolline in Musarum antrum induci (cf. etiam Prop. IV 1, 17). quin ipse Vergilius in Georgicon libro III. ineunte (v. 10) de se praedicat primum se ab Aonio vertice redeuntem Musas in patriam suam deducturum esse. nostro autem loco satis lepide hanc expressit sententiam: Gallum poëtam a carminibus amatoriis ad heroica argumenta progredi.[2]) namque eum Heliconis gradum escendere ille narratur ad quem se nondum pervenisse Propertius (hunc sine dubio Nostri locum recordatus) clarissimis verbis (III 10, 25 sq.) ‚Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes, sed modo Permessi flumine lavit Amor' professus est. ille si ad ripas eius fluminis commoratus amatoriae poësi se vacare dicit, recte ‚errantem Permessi ad flumina Gallum' leve tantummodo carminum genus, amatorium scilicet, usque eo coluisse intellegemus. qui cum a rivo illo de Heliconis vertice delabente (cf. Serv. ad ecl. VI 64) ‚Aonas in montis', i. e. ad ipsum poëtarum montis verticem ducitur, admonetur sine dubio ut sublimius aggrediatur poësis genus.[3]) quod vero assurgere Gallo totus Phoebi chorus dicitur, hac ipsa re ostendere Noster voluit non iam tironem, sed insignem poëtica laude Gallum cum

---

[1]) Fleckeis. Ann. 1864 p. 771 sq. ibid. 1878 p. 859 sq. Symb. Joach. p. 25 sq.: contra disputant Krause p. 33 sq. Przygode p. 42 sq.

[2]) v. Kolsterum p. 98 sq., qui de mutatis formis Silenum cecinisse ratus Cornelii Galli transitum ab amatoria ad heroicam poësin factum toti cantui subesse dicit.

[3]) cf. Kolster p. 129. quam autem Flachius l. l. 634 huic loco subesse voluit sententiam: amore maxime factum esse ut Gallus poëtica laude floreret, ea cum Hesiodo ad imitandum illi proposito haud convenit.

ab aequalibus tum a se ipso existimari.[1]) fuisse autem Gallum in primis apud Romanos elegiae auctoribus et Diomedes grammaticus, qui ex Suetonio sua hausit (Suet. p. 18 R.), et Quintilianus (J. O. X 1, 193) et Ovidius poëta ipse elegiarum laude maxime florens (Trist. IV 10, 51) testes sunt, qui cum Tibullo et Propertio hoc poësis genus eum coluisse dicant.[2]) ex quibus Ovidius cum successorem Galli Tibullum appellat illum principem in hoc genere fuisse ostendit. atque in elegiis quidem cum iam antea summam collegisset famam, tum ipsum heroico carmini eum apparet operam dedisse. etenim de Gryneo nemore, cuius celebrandi Linus in nostra ecloga (v. 67 sq.) ei auctor esse fingitur, re vera Euphorionem Chalcidensem secutus poëma conscripsit ab ipso Vergilio ecl. X 50 significatum (cf. Serv. ad ecl. VI 72). ad quod componendum ita eum incitari Noster facit ut Hesiodi utatur exemplo, qui quomodo ipse poësin aggredi a Musis iussus esset in Theogoniae initio (v. 22—34) splendidissimis verbis exposuit. neque vero, ut comparare has duas narrationes inter se liceat, hanc illi oportet ad amussim respondere: id quod Schaperus desiderat dicens omnia apud Hesiodum a nostris diversissima esse (Symb. Jo. 27). nimirum quod Hesiodus increpari se ipsum a Musis facit a Nostro apte exprimi non potuit, cum de amici laudibus praedicaturus esset.[3]) apud utrumque summa sententiae haec est: dono aliquo Musarum ut vitae munus tueatur Hesiodum vel Gallum admoneri: id quod nisi vivo poëtae vix quisquam dixerit accidere (cf. Ribbeck, Prol. 11). nihil autem aptius ad laudanda Galli studia carminis heroici poterat excogitari quam eundem calamum qui antea seni Ascraeo a Musis datus sit Gallo impertiri. ac quod ad Gryneum potissimum nemus celebrandum hac fistula uti iubetur haud scio an hoc poëtae animo obversatum sit[4]) de eodem hoc argumento

[1]) hoc enim honore eum qui magna esset carminum fama coli solitum esse Tacitus (dial. c. 13) nos docet.

[2]) cf. Kolster p. 196.

[3]) cf. Krause p. 37.

[4]) quod nos ex Strabone XIV p. 642 discimus, cf. Meineke, Analecta Alexandrina p. 80.

ipsum Hesiodum poëma conscripsisse: quanquam Gallum scimus in hoc tractando ad Euphorionis carmen se applicasse.[1]) verisimile autem est idcirco hoc electum esse quod a Lino commendari fingeretur quod non ignorabat Noster amicum huic intentum esse. sic enim insignes Galli laudes recte mihi videor interpretari ut carminis nondum confecti, ad quod legentium animos adverteret, praeconem Nostrum exstitisse statuam.

Aptius autem mortuum quam vivum poëtam Augusteae aetatis heroibus illis et heroidibus adiungi de quibus canens Silenus inducatur minime concesserim. neque, etiamsi in ecloga VI. id sibi Vergilius proposuerit ut amoris vim omnia domantem describeret (Fleckeis. Ann. 1878 p. 860), Galli laudes huic loco magis conveniant. nam quod ille foede interiit, non amoris vi, sed Caesaris inclementia effectum est.

Corruunt igitur illa Schaperi commenta quibus demonstrare studuit versus 64—73 ante Galli mortem scribi non potuisse.

At idem versibus 3—5 effici putat adultae iam Nostri Musae hanc eclogam attribuendam esse, quoniam heroici carminis periculum minus feliciter factum in eis commemoretur.[2]) qua in re fugisse videtur virum doctissimum hoc non ad Aeneidem, ad quam ex Servii sane auctoribus quidam hoc rettulerunt,[3]) sed ad incohatas res Romanas sive regum Albanorum gesta ab optimis testibus referri in ipsisque studiorum primordiis poni.[4]) quibus vero ille nititur versibus, ei, si modo ex simplici verborum sententia accipiuntur, prorsus aliud produnt atque Schaperus voluit. nam-

---

[1]) Kolsterus p. 135 Euphorionis librum qui inscribitur Hesiodus (a Suida s. v. *Εὐφορίων* in librorum indice commemoratum, cf. Meineke l. c.) a Gallo in latinum sermonem traductum esse in eoque carmen de Gryneo nemore fuisse conicit.

[2]) cf. Fleckeis. Ann. p. 771 sq. Bucol. commentar. p. 45.

[3]) Serv. ad ecl. VI 3: ,significat aut Aeneidem aut gesta regum Albanorum, quae coepta omisit nominum asperitate deterritus'.

[4]) Donat. p. 58, 20 R.: ,Mox cum res Romanas incohasset offensus materia ad Bucolica transiit'. cf. Ribbeck., praef. ed min. XIV. Nettleship. 39. Sellar. 115.

que ‚Primo‘, inquit poëta, ‚pastoralibus carminibus ad Theocriti modum exprimendis operam dedi: a quibus cum ad heroicum carmen me avertere vellem, Apollo me dehortatus est et in officio Musarum agrestium retinuit. quare alii tuas laudes, Vare, et civilia bella perscribant; ego etiam amplius in bucolica poësi permanebo, quam colere a deo iussus sum‘.

Haec si recte exposita sunt non possunt nisi priusquam ad Georgica Vergilius se converteret scripta esse. quippe in nullo alio carminum genere nisi bucolico tum quidquam ab eo profectum fuisse ex hac ecloga discimus.

Levissimum denique argumentum ex paginae voce (v. 12) Schaperus repetiit: quae cum ab aliis illius aetatis poëtis eodem quo carmen sensu adhibeatur (cf. Prop. III 34, 89. IV 1, 17. 3, 21), non intellego cur a bucolicae poësis usu abhorreat (cf. Kolster p. 108).

Quod quoniam Schaperi argumenta stare non possunt, ab ea temporis definitione quam ex prooemio huius eclogae nobis videbamur cognoscere nihil est quod recedamus.

Post sextam inserenda videtur ecloga *octava*, quae quo tempore conscripta sit ex honorificis verbis ad Pollionem datis clarissime elucet. namque ad Pollionem versus 6—13 spectare nec recte hoc a Schapero (v. Bucol. commentar. p. 56/57) impugnari puto. qui Augustum his versibus invocari ex Servio collegit. quanquam ne aliorum quidem ad Pollionem illos referentium in eisdem commentariis silentio premuntur opiniones (maxime ad v. 10 et 12). hae autem multa habent quibus commendentur.

Primum enim verba quae sunt ‚sola Sophocleo tua carmina digna cothurno‘ (v. 10) artificiosius mihi videntur interpretari qui de victoris imperatoris laudibus Sophocleo tantum cothurno dignis ea loqui dicant (v. Servium ad h. l.).[1]) nam ‚tua carmina‘ idem valere quod carmina de tuis laudi-

[1]) qua interpretatione ne Ribbeckius quidem abstinuit (Prol. 9, praef. ed. min. XXIII), quamvis Pollioni hanc eclogam dedicari non negaverit. contra Nettleshipius (Vergil. ed. Conington, praef. ad ecl. VIII) Servii illam explicationem ut simplici verborum sensui repugnantem respuit. cf. etiam Bursiani diar. 1882, 2 p. 122.

bus composita quis legentium perspiceret? immo laudati amici carmina sunt, quae ‚totum — ferre per orbem‘ Noster concupiscit. haec autem carmina ‚sola Sophocleo digna cothurno‘, h. e. ea appellantur quae sola cum tragoediis Sophocleis comparari liceat: de tragoediis igitur et ipsis sermo est. ac laudes ex his partas (v. 9/10) bellicis laudibus (v. 7/8) adiungi, non easdem rerum gestarum laudes duplici modo a poëta exprimi in aperto est (cf. Krause p. 56). itaque et ducis et poëtae tragici gloria eum floruisse apparet ad quem hoc carmen missum est.[1]) quod cum Pollionis tragoediarum notissima sit fama,[2]) Caesaris Augusti non item, utrum horum alloquatur poëta haud dubium videtur.

Eundem Pollionem verbis ‚Accipe iussis carmina coepta tuis‘ (v. 11 sq.) monstrari apparet, quae non solum ad huius eclogae argumentum Nostro suppeditatum, sed ad totum carminum genus ei suasum respiciant.[3]) neque improbabilis est eorum coniectura qui omnes praeter decimam eclogas his versibus ad Pollionem missas esse statuunt.[4])

Illyriae deinde oram cum exercitu praetervehi multo rectius Pollio dicitur, quem constet in Illyria feliciter bellum gessisse quam Caesar Augustus: quem etsi a. 724 ex Oriente ad seditionem militum comprimendam parumper Italiam repetiisse apud Suetonium legimus (Aug. 17), neque hoc potissimum tempus poëticis laudibus aptum fuisse neque quo ille itinere domum profecturus esset tum quidem Romae ignoratum esse Schaperus (commentar. Bucol. p. 57) mihi persuasit.

Denique ea displicet opinio qua Augusto carmina a se petenti ita morem gessisse Noster statuatur ut carmen iam

---

[1]) quem summam carminum adeptum esse famam vel inde perspicuum fit quod hederam eximiis poëtis dari solitam (cf. E. VII 25 cum Servii adnot.) ei videmus offerri.

[2]) Hor. Sat. I 10, 42: ‚Pollio regum facta canit pede ter percusso.‘ idem carm. II 1, 9—12. cf. Kolster p. 159.

[3]) cf. Sellar p. 150: The words ‚Accipe iussis‘ etc. testify to the personal influence under which V. wrote these poems. Glaser, Fleck. Annal. 1877 II p. 500.

[4]) v. Greenough in edit. Verg. vol. I ad ecl. VIII 11 Sellar p. 133. Kolster p. 159 sq.

antea editum quibusdam versibus auctum ad eum mitteret. (cf. Przygode p. 24 sq.) versus autem 6—13 quod a totius carminis argumento alienissimi sunt, inde minime sequitur eos postea huic carmini adiectos esse. neque eo quod inter propositionem et rei tractationem illi locum tenent nos offendi fas est, cum simili ratione in Georgicon libro altero paucis de arborum cultu praemissis Maecenati se carmen desponderi velle Noster profiteatur (39—46).

Ad Pollionem igitur datam esse octavam eclogam pro certo statuo. iam inter eos qui hanc sententiam amplexi sunt disceptatur utrum proficiscenti adversus Parthinos Pollioni an redeunti ex illis haec ecloga missa sit. ex quibus Heynius egregie erravit cum abeunti in Illyriam eam missam esse ex sententiarum ordine (nempe primum Timavi fluminis, tum Illyrici aequoris mentio fit) sibi visus est colligere. nescire enim videmus poëtam utrum ‚iam' ad Timavum, quod est flumen Venetiae, progressus sit ille an etiamtum Illyriae oram classe praetervehatur (v. 6 7).[1]) accedit quod splendidam eum assecutum esse victoriam victrix laurus (v. 13) nos docet. atqui constat Pollionem postquam consulatu se abdicaverit in Illyria bellum gerere coepisse (cf. Dio XLVIII 41) et a. d. VIII Kal. Nov. insequentis anni ex Parthinis triumphasse (Ribb., Prol. 9). quare non anno 714 (Nettleship. A. L. 48), sed extrema fere aestate anni 715 haec ecloga putanda est orta esse.

Decima ecloga omnium ultimam se conscriptam esse ipsa prodit (v. 1).[2]) neque enim prooemium eius postea mutatum aut perfectae iam pridem eclogae insertum esse Flachius[3]) probavit: qui eam in antiquissimis bucolicae poësis speciminibus collocari vult. quanquam ultimum pastoralem cantum se moturum esse Galli amicissimi causa poëta dicit, cui negari carmina non debeant. cui nisi gratum facere volu-

---

[1]) cf. Ribbeck, Prol. 9, a quo nullis allatis argumentis Nettleshipius p. 48 dissentit. Przygode p. 21.

[2]) cf. Prol. 10. Teuffel, Hist. lit. Rom.[4] p. 454.

[3]) Fleckeis. Annal. 1879 p. 791—798.

isset, dubitandum non est quin bucolica componere carmina iam desiturus fuerit.[1])

Quod si ceteris omnibus posterior haec ecloga habenda est, non potest ante annum 715 orta esse, quem octavae eclogae annum supra cognoverimus. quem ultra terminum ne in alteram partem egrediamur grammaticorum obstant testimonia, nisi temporum indiciis in ipso carmine repertis haec refelli statuendum est. versibus enim 23 sq. 46 sq. Lycoris Gallo relicto ut militem nescio quem sequeretur cum exercitu Alpes transgressa esse dicitur. ipsum autem Gallum ex versibus 44 sq. apparet bello aliquo Italico retineri — namque procul a patria amatam puellam degere conqueritur — et adversis hostibus in acie constitutum esse. atque Gallicum bellum ad quod Lycoris profecta esset nullum aptius viris doctis visum est quam praeclarissimum illud a M. Agrippa gestum et victoria eius Aquitanica nobilitatum.[2]) neque hoc temere ab illis positum esse contenderim: quamquam non minus apte de Caesaris itinere a. 715 in Galliam facto cogitari Ribbeckius (Prol. 10) bene monuit. quod vero insigne Agrippae factum quo ille secundus Romanorum Rhenum traiecit (Dio XLVIII 49) frigoribus Rheni (v. 47) tangi putant haudquaquam mihi probaverunt. nam etiamsi nihildum de hoc facto Gallus compertum habuerit, ubi primum exercitum in Transalpinam Galliam profecturum Lycoridem comitatam esse cognovit, de eiusmodi rebus quales sunt nives Alpium et frigora Rheni eum timuisse, utpote puellae amantissimum, consentaneum est.[3]) ex ipso autem Agrippae bello id solum Appianus, qui harum rerum maxime idoneus auctor est, nos docet (B.C. V 92.) nuntium victoriae Aquitanicae auctumno anni 716 ad Caesarem relatum esse. quidni

[1]) neque hanc eclogam levissimam a Verg. habitam esse ideoque in fine omnium positam quod Flachius (p. 798) statuit cum impenso erga Gallum amore (v. 2 sq. 72 sq.) conciliari potest. cf. etiam Przygode p. 48. 56.

[2]) v. praeter Martinum, Heynium, Vossium, Ladewigium Völker, De Corn. Galli vita et scriptis I p. 25. Nettleship, Anc. lives p. 48. Sellar p. 134.

[3]) cf. Ribbeck, Prol. 10.

igitur exeunte a. 715 ut Aquitanorum seditionem comprimeret illum profectum esse existimemus? (cf. Drumann. IV 264.) iisdem fere temporibus Caesari denuo cum Pompeio exortas esse inimicitias exercitumque ad eum debellandum comparatum esse Appianus (V 78) tradit. in quo exercitu si Gallum stipendia meruisse coniciamus,[1]) praesertim quem constet semper a Caesaris partibus stetisse, post pugnam autem Actiacam eius iussu copias in Aegyptum duxisse (Dio LI 9), haud procul, ut opinor, a vero aberremus.

Sed ne solutam hanc quaestionem putemus Schaperus obstat: qui anno demum 728 vel 729 decimam eclogam scriptam esse studet demonstrare.[2]) hac enim Gallo calumniis inimicorum et Augusti inclementia ad necem compulso honores tribui arbitratur, cum laudes vivo impertitae imperatoris irati iussu ex Georgicon libro ultimo deletae sint. quam doctissimi viri ratiocinationem paucis examinare liceat.

Ac primum quod de mutato Georgicon quarto refert unius Servii (ad ecl. X 1 et ad Georg. IV in.) positum auctoritate[3]) si modo pro genuina memoria habendum est, ipsum illi sententiae a Schapero prolatae maxime adversatur. qui enim Galli laudes iam carminibus insertas et publici iuris factas imperante Augusto deleverit, eum haud probabile est de integro carmen in honorem defuncti amici composuisse.[4])

At verbis ‚neget quis carmina Gallo' (v. 3) excusare se Nostrum Augusto Schaperus putat quod virum qui in eius odium venerit carmine celebrare audeat: carmina enim fieri non posse ut illi negentur.[5]) quid? tam vano usum argumento poëtam credamus edictum principis elusisse? immo ad illud quod versibus 31 sq. exoptat Gallus ut infelix amor suus ab agricolis canendi peritissimis celebretur[6]) rec-

[1]) nam quod detineri in armis G. dicitur haud recte ad animum eius in castris Gallicis versantem Servius (ad ecl. X 46) rettulit.

[2]) Fleck. Annal. 1864 p. 654 sq. edit. Bucol.[7] p. 68.

[3]) in Donati enim vitam interpolatione hoc illatum est, cf. Proleg. 22.

[4]) cf. Flach, l. c. p. 796 adn. 16. Przygode p. 49.

[5]) cf. Bucol. commentar. p. 69.

[6]) namque hoc unum in versibus supra laudatis inesse neque quidquam in ineunte versu 31 simul audiendum puto nisi haec: ‚quanquam

tius haec verba mihi videntur referri. ‚quis Gallo poëtae infelicissimo carmen negaverit, cui nihil iam in votis sit nisi pastoralis cantus amorem eius persecutus'? huic amici desiderio Noster satisfecit, cum ‚sollicitos Galli-amores' aeternitati commendavit.

Cupienti igitur Gallo hoc carmen oblatum esse cum ex eclogae initio clarissime eluceat, tum ex versibus 72 sq. apparet, quibus Musae rogentur ut hanc illi eclogam iucundissimam reddant.[1]) sic autem et amicitiae et bucolicae poësis munere optime Noster functus est ut ‚Daphnidis infelicis querellis ad Gallum festive translatis' (Proleg. 11)[2]) ne nimis indulgeret amori Cornelium suum admoneret. neque ideo quod versus 9—30 ad eorum expressi sunt similitudinem quibus Theocritus clarissimum pastorem Siculum amoris curis abreptum concelebraverit ad mortuum Gallum aptius illos referri Schapero (l. c. p. 68) concedo. gravissime enim inter se discrepant Daphnis et Gallus, quamvis simili modo utriusque fortuna describatur. quorum ille amoris vim frustra debellare conatus vita decedit, hic in futurum quoque se Cupidini subiectum fore cognoscit[3]) voluntariae autem Galli mortis ex clandestinis inimicorum consiliis (Suet. Aug. 66) sive ex ipsius lingua immodice libera (Ovid. Trist. II 445), non ex amore Lycoridis repetendas esse causas accepimus.[4])

---

non nescio Amorem nullis querellis moveri, tamen in vestros sinus dolorem meum effundere iuvat, quod spero carminibus vestris infelicissimum hunc amorem celebratum iri. sed conf. Przygode p. 51.

[1]) cf. Ribbeck, Prol. 11.

[2]) cf. etiam Flach p. 796.

[3]) quin etiam pastoralibus carminibus et venatione doloris solacium Gallus hausturus esse dicitur (v. 50 sq.): id quod mortuum hominem vix quisquam dicentem faciat. quod vero mortuum Gallum Sch. existimat (p. 70) eis studiis vacantem a poëta induci quae vivus maxime adamaverit probandum fortasse esset, si apud inferos versantem (quales Alcaeus et Sappho apud Horatium II 13, 21—40 finguntur) eum Noster finxisset: quod longe secus est: Arcadiae enim silvas et montes eum pervagantem videmus. neque divinum poëtam (v. 17) appellari quemquam putarim nisi qui vivus poëtica laude floreat.

[4]) nam quod Propertius III 34, 91 vulnera illo amore accepta usque ad mortem Gallum tulisse dicit, per hyperbolen dictum esse apparet ut amoris illius vis et ardor perspicue cognoscatur.

Aliud accedit argumentum quo Gallum etiamtum in vivis fuisse quo tempore ecloga nostra conscriberetur perspicuum fiat: scilicet quod ea ,quae legat ipsa Lycoris' (v. 2) se cantaturum esse Noster profitetur. nam sive id spectavit ut eam poeniteret perfidiae sive non spectavit, certe illius puellae aliquo modo rationem habendam esse duxit. atque hanc eandem fuisse ac Cytheridem notissimam mimam, Volumnii Eutrapeli libertam (cf. Cic. ad fam. IX 26, 2) ex scholiis Philargyrii et Servii discimus.[1]) quam etsi falso Servius refert ,spreto Gallo' M. Antonium in Gallias secutam esse, tamen anno 705 cum hoc tribuno plebis ad Caesaris exercitum Gallicum se contulisse Cicero in Philippicarum orationum altera (§ 58) locupletissimus exstitit testis. neque propter levem Servii errorem quo Cytheridis amorum confuderit tempora totam illius narrationem reiciendam putarim, ex qua eadem puella et Gallo fidem laesisse et ab Antonio in Galliam abducta esse cognoscatur.[2]) M. vero Brutus, cui eandem hanc in amoribus fuisse auctor de viris illustribus (c. 82) narrat, cum inde ab a. 703 felici matrimonio coniunctus fuerit cum Ap. Claudii filia,[3]) dubitari non potest quin antè hoc tempus eam amaverit. quam talem mulierem, quae tam diu cum aliis amorem exercuisset, a. 715 a Gallo amatam esse non posse nihil quidem est cur statuamus (cf. Flach. l. c.), quandoquidem similia in aliorum poëtarum,

---

[1]) Philarg. ad ecl. X 22. Serv. ad ecl. X in. cf. etiam de vir. ill. c. 82 et scholia cod. Med. ad ecl. X 2 apud Zangemeister et Wattenbach, Exempla cod. Lat. n. 10 — quorum uterque locus a Flachio laudatur.

[2]) Flachius l. c. p. 794 gravissimum esse ratus quod Servius tradit Lycoridem *Gallo spreto* M. Antonium in Galliam secutam esse hoc nisi exorto ineunte fere a. 711 bello Mutinensi negat factum esse posse. ne autem puellae a duobus iam dimissae Gallus amore captus putetur, aliam esse Cytheridem mimam ab Antonio et Bruto, aliam Lycoridem nostram a Gallo et Antonio amatam statuit. qua in re neque frigorum Rheni ulla habetur ratio, quoniam a. 711 *Cis*alpinam Galliam petere M. Antonius non ignorabatur, et quattuor auctorum qui Lycoridem illam Cytheridem appellatam esse doceant idcirco negleguntur testimonia ut accuratissime Servium de Lycoridis amorum temporibus rettulisse efficiatur.

[3]) cf. Flach. p. 793.

maxime elegiacorum, amoribus inveniuntur. hoc tamen pro certo affirmare ausim: nemini poëtae illam a. 728 dignam esse visam cuius amorum vices carmine persequeretur,[1]) nedum mortuo iam Gallo Vergilii quidquam interfuerit eclogam suam a Lycoride legi.

Prorsus autem aberrasse a vero Schaperus putandus est cum ex eis quae in Donati vita Servii aliorumque frustulis contaminata olim legebantur verbis: ‚Ecloga X. desiderium Galli continet' nostram eclogam ad desiderium mortui Galli exprimendum scriptam esse collegit (Fleck. Ann. 1864 p. 772. De ecl. Verg. interpret. p. 43). haec enim nihil aliud significare quam ‚sollicitos Galli amores' ex codicum Bernensium inscriptionibus apparet, quae ‚de desiderio Galli circa Volumniam Cytheridem meretricem' poëtam loqui dicunt. in eandem sententiam haec ecloga ab Ammiano (XVII 4, 5) accipi videtur, a quo tradatur Gallum ‚flens quodam modo in postrema Bucolicorum parte Vergilius carmine leni decantasse'. namque non interitum Galli luxisse, de quo paulo ante scriptor rettulerat, sed de aliqua eius cura hoc carmine conquestus esse Noster dicitur.

Improbata igitur Schaperi argumentatione Cornelium Gallum a Cytheride mima desertum hac ecloga ab effuso dolore revocari statuo. neque quidquam impedire apparet quominus a. 715 Bucolica confecta atque edita esse existimentur.

Restat ut totius disputationis summam faciam. atque hoc quidem iam constare puto in definiendis eclogarum annis viam a Ribbeckio initam sequendam esse. a quo ita dissentio ut omnes quae quidem aetatem tulerint eclogas Pollione auctore ortas esse statuam. neque igitur ex illis una alterave iam composita quae supererant triennio scriptae, sed omnes trium annorum (713—15) spatio confectae esse mihi videntur. quo ex numero secundam, tertiam, quintam Mantuani agri turbationibus priores esse apparet. neque septi-

[1]) nam quod Ovidius (Am. I 15, 29) et Martialis VIII 73, 6 ita Lycoridem celebrant ut Galli laudem ab ea maxime profectam esse dicant (Schaper., praef. comment. Bucol.[7] p. VI), elegias quae illi inscriptae sint, non Cytheridem mimam eos intellegere apparet.

mam, qua quidem res illius aetatis minime tangantur, ab antiquioribus eclogis seiungendam censeo. his confectis *prima* aestate anni 713, quo tempore Noster unus Mantuanorum immunitatem agri impetrasset, *nona* cum exorto bello Perusino praedium sibi ereptum vidisset sub exitum eius anni existimanda est orta esse. exsul deinde poëta bucolicam poësin cum aliquot menses exercere desiisset, rursus colere coepit in integrum restitutus auctumno anni 714 *quarta* ecloga ad Pollionem consulem *sexta*que ad Varum agris dividundis praefectum missis. insequenti deinde anno insignibus duorum amicorum, Asinii Pollionis et Cornelii Galli, fatis ad componendas eclogas impulsus est. quorum illi victori ex Illyria reduci *octavam*, huic ab amata puella relicto *decimam* obtulit eclogam.

VITA.

Natus sum Alfredus Feilchenfeld Duesseldorpii a. d. XVIII. Kal. Oct. a. 1860 patre Wolfio matre Ernestine e gente Berend, quibus superstitibus maxime gaudeo. Fidem profiteor iudaicam.

Litterarum elementis imbutus ab duodecimo anno gymnasium Duesseldorpiense, ab tertio decimo, quo ineunte cum parentibus Posnaniam migravi, gymnasium Friderico-Guilelmum Posnaniense frequentavi, quod tum Guilelmo Schwartzio directore florebat. Maturitatis testimonium vere anni 1878 adeptus, ut studiis maxime historicis et philologicis me darem, Berolinum me contuli, ubi civibus universitatis Fridericae Guilelmae rite adscriptus sum. Per octies sex menses scholis interfui virorum clarissimorum Aegidi, Bresslau, J. G. Droysen, H. Droysen, Hübner, A. Kirchhoff, Lepsius, Lotze, Nitzsch, Scherer, Seeck, Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Zeller.

Seminarii philologici regii per bis sex menses sodalis fui ordinarius. Praeterea Kirchhoffius et Vahlenus ut philologicis, Mommsenus ut historicis exercitationiubs interessem benigne mihi permiserunt. Praeceptoribus his doctissimis atque humanissimis, imprimis Mommseno et Vahleno, qui summa cum benevolentia studia mea consiliis sublevaverunt, gratias ago quam maximas.

Mense Junio anni 1883 examen pro facultate docendi Berolini superavi.